


AESTHETICA LITERARIA
ANTIQUA CLASSICA,

SIVE

ANTIQUORUM SCRIPTORUM

CUM

GRAECORUN TUM LATINORUM DE ARTE LITERARIA
PRAECEPTA ET PLACITA,

COLLECTA,

ORDINE SYSTEMATICO DISPOSITA ADNOTATIONIBUSQUE
PASSIM INSTRUCTA

A

JOSEPHO HILLEBRAND,
PHILOSOPHIAE PROFESSORE ET PAEDAGOGIARCHA
GISSENSI.

MOGUNTIAE,
SUMTIBUS FLOR. KUPFERBERG.
MDCCCXXVIII.

PRÆFATIO.

Equidem persuasum habeo, quum omni aetate tum praesertim hac nostra ab iis, quibus scholarum labor et cura demandata sit, id esse inprimis enitendum, ut humanitatis studia juventuti, literis operam navanti, quam maxime commendentur. Quod ut rite et cum fructu fieri possit, mirum quantum juvabit, si humanitatis praecepta ex ipso veterum scriptorum quasi ore percipiantur. Totius autem rei literariae, quatenus scilicet *artem* attinet, doctrinam ab antiquis praeclarissime tractatam accepimus. Quae cum ad excolendum juventutis animum plurimum valeat atque humanitatis studia potissimum complectatur, me hujus artis studiosis non male consulturum putabam, si, omnium, quae ex antiquitate nobis de ea tradita sunt, placitorum habito delectu praecipua finique obtinendo aptissima colligerem et diligentiori illorum examini proponerem; quod quidem jam quadraginta abhinc annis *Wideburgium* in libro suo „*Prae-*

cepta rhetorica, e libris Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani, Demetrii et Longini collecta, disposita passimque suppleta. aliqua ex parte molitum esse constat. Ab eo vero, quantum quum ambitu et varietate rerum, tum ordine ac dispositione in hoc meo opere absim, primo statim intuitu appareat necesse est. Namque non solum, (quo quidem vir ille doctissimus supersedit), aesthetices *universae* doctrinam attingendam putavi, sed et *integram poeticam* amplexus sum, atque insuper de *via ac ratione comparandi artis literariae facultatem*, quae potioria duxi, praecepta colligere volui *). Praeterea omnes, qui quidem classici haberi consueverunt, auctores, plures quoque serioris aetatis, quorum circa hanc materiam scripta accepimus, adii, magnamque sane rerum copiam, de qua comparanda mature cogitare coepi, ita digerrere laboravi, ut *unum* quasi opus ex multorum sententiis exsisteret. Ex *graecis* non pauciora, quam ex *latinis* fontibus praecepta adferenda esse censui; quum jam nobis juvenibusque, humanitatis

*) *Wideburgius* in libro modo laudato praecepta solummodo rhetorica et pauca de pronunciatione exhibet. In his vero ipsis Aesthetica, quam nunc habes, antiqua classica et materiarum delectu et dispositionis ordine ab illo opere plurimum differt. Plura tamen, quae Wideburgius proposuit, recepta invenies.

artibus imbuendis, gratulari sane interiorem aetatis nostrae graecarum literarum amorem possimus *). — Siquidem nonnulla *copiosius* adscripta putes, meminisse velis, ipsam cogitandi vim et facilitatem subtiliori antiquorum disserendi modo multum adjuvari. Neque plurium auctorum eadem de re placita simul proposita indigneris, quum inde et comparationi variorum et notitiae ipsi literariae plurima commoda exoriantur. Genus *oratorium* fusius exponendum putavi; cujus quidem consilii causa facile apparebit reputanti, veteres auctores in eo ipso explicando longissimos esse, multaque eorundem in hac materia decreta ad reliquas quoque referri posse.

Adnotationibus parcendum erat, ne liber nimium excresceret, nec explicationi, coram habendae, obsisteretur. Attamen eas, quae aut

---

*) Aliter circa hanc rem *Wideburgius* de adolescentibus suae aetatis sentiebat, quod quidem his ipsius verbis satis indicatur: «*Et multa quidem a Cicerone, plura tamen a Quintiliano petii; a Graecis pauciora, propter eos, qui haec legere non possunt. Verebar enim non sine causa, ne hodie quoque in scholis aliquibus superessent adolescentes, qui, quamquam literati videri vellent, a literis tamen Graecis, omnis doctrinae et elegantiae fontibus, abhorrerent.*» Cf. *Wideb.* Praecepta rhetorica etc. Praefat.

ad discentium diligentiam, aut docentium attentionem excitandam aptae videri possint, vix desideraveris. Ceterum materiam ita disposui, ut ordo operis libro meo *vernaculo*, quem anno praeterlapso de eadem doctrina vulgavi *), responderet. Utrumque nimirum opus, praecipue scholarum usui destinatum, in tradenda artis literariae doctrina ita conjungi commode potest,

*) Lehrbuch der Literar-Aesthetik, oder Theorie und Geschichte der schönen Literatur, mit besonderer Berücksichtigung der deutschen, zum Selbststudium und Gebrauche bei Vorträgen. 2 Bde. Mainz, 1827. Librum hunc jam in pluribus scholis instituendae in hac disciplina juventuti commendari, non sine magna laetitia accepi; quippe qui inde intelligam, nec consilium meum, quod in eo elaborando secutus sum, omnino improbari, neque rem ipsam ejusdemque tractandae rationem omnibus, qui quidem de opere ipso judicare valeant, displicere. Quo magis doleo, ex erratorum, quae ibi offenduntur, copia plura, eaque non minima, a me indicari non potuisse, quia mihi postremas plagulas in perficiendo mendorum indice inspiciendi potestas facta non est. Qua in re gratum mihi fecit anonymus, qui in *Seebodii* Biblioth. critic. ann. 1828. mens. Mart. Nro. 19. circa ista errata rectissime conjecturavit simulque amicissime monuit. Praesertim emendanda haec sunt. Tom. I. p. 132. pro Philetas circa an. 450. l. *circa an.* 300. Tom. II. p. 716. pro Serena l. *Selina* et in ipso indice pro Aleximenes l. *Alexamenos* etc.

ut singulis vernaculae scriptionis capitibus loci pertinentes, ex antiquis auctoribus transscripti, interpretandi et explicandi addantur: unde certe haud minimos solidioris eruditionis fructus discipulis, ultra rudimenta jamjam longius progressis, redundaturos, exspectare licet.

At dicat quispiam: »Cur non *unum eundemque* scriptorem, cujus integrum de hac disciplina librum habemus, v. g. *Quintilianum*, *Ciceronem* aut *Aristotelem* exponendum adhibeamus?« — Huic quidem, si necesse sit, breviter respondendum videtur, non solum verborum, sed etiam et quidem inprimis *rerum* cognitionem his studiis petendam esse, quae utraque certe, variorum comparanda ratione atque doctrina, plenior exsistat oportet, quam acquiescendo in unius, vel principis, scriptoris lectione; sed ne exstare quidem ex tota antiquitate opus, in quo res nostra universa cum singulis partibus tractata sit; praeterea praecipuas hujus generis scriptiones non raro ad eas delabi subtilitates, quae, utpote illius aetatis rationi omnino propriae, a nostra nimium alienae appareant, et intelligendi difficultates sine aliquo fructu supra modum adaugeant. Quae si recte se habent; spero equidem, fore ut labor hic meus, qualiscunque demum sit, certe abunde operosus, nec ingratus omnino nec inutilis iis videatur, qui

se artis literariae magistros profitentur. Ab iisdem certe circa ea, quae in opere desideraverint, admoneri me libenter patiar: imo ut propter ipsum, quem spectavi, finem aequo me judicio edocere velint, plurimum rogo.

Dabam Gissae ipsis Kalend. Jun.
a. MDCCCXXVIII.

CORRIGENDA.

Pag. 4 lin. 11 leg. Ὅμως.
— 8 in not. lin. 15 leg. De audit. *poet.*
— 9 lin. 17 leg. *facientia.*
— 10 in not. 2da lin. 1 leg. *seorsum.*
— 21 lin. 11 addend. p. 289.
— 76 in not. lin. 22 leg. *haec.*
— 95 in not. lin. 33 leg. *Aldin.*
Ib. lin. 34 leg. *Praeter* differentiam.
— 110 lin. 3 deleat.).
Ib. lin. 7 leg. *unoquoque.*
— 111 in not. 2da lin. 4 leg. *Hermog.*
— 165 in not. lin. 13 leg. *sodes.*
Ib. lin. 30 leg. *tetigesse.*
— 181 in not. lin. 26 leg. μελοποιΐα.
— 199 in not. lin. 7 leg. *ob id.*
— 222 in not. lin. 1 leg. *comoedia.*
— 223 in not. 2da lin. 18 leg. *Grot.*
— 237 in not. lin. 3 leg. *quoque.*
— 241 in not. lin. 4 leg. Νιπτρῶν
— 371 in not. 2da leg. *memorata.*
— 379 in not. 1ma leg. *machinis.*
— 405 in not. 3tia lin. 5 del. *comma* post conjicit.
— 427 §. 71 del. *et modo.*

ARGUMENTA CAPITUM.

PARS PRIMA.

Prolegomena Aesthetices literariae generalia, sive de pulchritudine et arte in genere.

PARS SECUNDA.

De arte literaria.

SECTIO PRIMA.

De universa artis literariae natura ac constitutione.

A. *De elocutione in universum.*

Adpendix I.

De memoria et pronunciatione.

Adpendix II.

De via ac ratione comparandi artis literariae facultatem.

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA AESTHETICES LITERARIAE GENERALIA

CONTINENS,

SIVE

DE PULCHRITUDINE ET ARTE IN GENERE.

Adpendix I.

De memoria et pronunciatione.

Adpendix II.

De via ac ratione comparandi artis literariae facultatem.

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA AE[illegible] LITERARIAE [illegible]

[illegible]

DE PU[illegible]

PARS PRIMA.

DE PULCHRITUDINE ET ARTE IN GENERE.

CAPUT I.

DE PULCHRITUDINE *).

§. 1.

Platonis de pulchro sententia.

Socr. Ἔναγχος τις εἰς ἀπορίαν με κατέβαλεν ἐν λογοῖς τισί· τὰ μὲν ψέγοντα, ὡς αἰσχρά· τὰ δ' ἐπαινοῦντα, ὡς καλά· οὕτω πως ἐρόμενος· Πόθεν δέ μοι σὺ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οἶσθα, ὁποῖα καλὰ καὶ αἰσχρά **); ἐπεὶ φέρε ἔχοις ἂν εἰπεῖν, τι ἐστι τὸ

---

*) Cf. Aesthet. mea liter. *vernac.* Tom. I. p. 6—25.

**) Vim vocis τοῦ καλοῦ apud Graecos, praesertim apud philosophos, latissime patere, nemo, graecarum literarum peritus, ignorat, abundeque apparet magna significationum ejusdem varietas ex iis, quae lexicographi collegerunt. Ad hos quidem ablegandi, qui rem accuratius edoceri velint. Hic indicasse sufficiat, *Platonem* ipsum, et quidem in *Cratylo*, de vocabuli etymo inquirere. (Vid. Cratyl. p. 296 et 297. ed. Bip.) Concludit disquisitionem suam hac sententia: Ὀρθῶς ἄρα φρονήσεως αὕτη ἡ ἐπωνυμία ἐστὶ τὸ καλὸν τῆς τὰ τοιαῦτα ἀπεργαζομένης, ἃ δὴ καλὰ φάσκοντες εἶναι, ἀσπαζόμεθα. (p. 297.) — *Aristoteles* ὁμώνυμον εἶναι τὸ καλὸν, rectissime monet. (Conf. Topic. I. 13.)

ἄγοντι δυναμένους ἕπεσθαι, καὶ πολλὰ δίκαια, αὐτὸ δὲ τὸ δίκαιον μὴ, καὶ πάντα οὕτω, δοξάζειν φήσομεν ἅπαντα, γιγνώσκειν δὲ ὧν δοξάζουσιν οὐδέν. — Ἀνάγκη, ἔφη. — Τί δ' αὖ; τοὺς αὐτὰ ἕκαστα θεωμένους καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως ὄντα ἄρ' οὐ γιγνώσκειν, ἀλλ' οὐ δοξάζειν; Ἀνάγκη καὶ ταῦτα. — — — Τοὺς αὐτὸ ἄρα ἕκαστον τὸ ὂν ἀσπαζομένους, φιλοσόφους ἀλλ' οὐ φιλοδόξους κλητέον. (De republ. l. V. p. 58, 66 et 67.) — — — Μετριότης καὶ ξυμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι. (Philebus. p. 317.) *). — — — Τὰ μὲν ἀρετῆς ἐχόμενα ψυχῆς ἢ σώματος, εἴτε αὐτῆς εἴτε τινὸς εἰκόνος, ξύμπαντα σχήματά τε καὶ μέλη, καλά· τὰ δὲ κακίας αὖ, τοὐναντίον ἅπαν. (De legg. II. p. 63.) — Socr. Νοῦς ἡμῖν κάλλους μετείληφε πλεῖον ἢ τὸ τῆς ἡδονῆς γένος, ὥςτε εἶναι καλλίω νοῦν ἡδονῆς, ἢ τοὐναντίον; Pro. Ἆρ' οὖν φρόνησιν μὲν καὶ νοῦν, ὦ Σώκρατες, οὐδεὶς πώποτε οὔθ' ὕπαρ οὔτ' ὄναρ αἰσχρὸν οὔτε εἶδεν οὔτε ἐπενόησαν οὐδαμῇ οὐδαμῶς, οὔτε γιγνόμενον, οὔτε ὄντα, οὔτε ἐσόμενον. Socr. Ὀρθῶς. (Phileb. p. 319.)

§. 2.

Ex *Xenophontis* Memor. Socr. [L. III. c. 8, 4. et l. IV. c. 6, 9. ed. Weiske].

Πάλιν δὲ τοῦ Ἀριστίππου ἐρωτῶντος αὐτὸν (scilic. Σωκρατ.) εἴτι εἰδείη καλόν; — Καὶ πολλὰ, ἔφη. — Ἆρ' οὖν, ἔφη, πάντα ὅμοια ἀλλήλοις; — Ὡς οἷόν τε μὲν οὖν, ἔφη, ἀνομοιότατα ἔνια. — Πῶς οὖν, ἔφη,

*) Cf. ad hunc loc. *Schleiermacheri* interpret. Plat. vernacul. II. 3. p. 134.

τὸ τῷ καλῷ ἀνόμοιον καλὸν ἂν εἴη; — Ὅτι, νὴ Δί', ἔφη, ἔστι μὲν τῷ καλῷ πρὸς δρόμον ἀνθρώπῳ ἄλλος ἀνόμοιος, καλὸς πρὸς πάλην· ἔστι δε ἀσπὶς καλὴ πρὸς τὸ προβαλέσθαι, ὡς ἔνι ἀνομοιοτάτη τω ἀκοντίῳ, καλῷ πρὸς τὸ σφόδρα τε καὶ ταχὺ φέρεσθαι. — — Σὺ δ' οἴει, ἔφη, ἄλλο μὲν ἀγαθὸν, ἄλλο δὲ καλὸν εἶναι; οὐκ οἶσθ', ὅτι πρὸς ταὐτὰ πάντα καλά τε καὶ ἀγαθά ἐστι; Πρῶτον μὲν γὰρ ἡ ἀρετὴ οὐ πρὸς ἄλλα μὲν ἀγαθὸν, πρὸς ἄλλα δὲ καλόν ἐστιν. Ἔπειτα οἱ ἄνθρωποι τὸ αὐτό τε καὶ πρὸς τὰ αὐτὰ καλοὶ κἀγαθοὶ λέγονται, πρὸς τὰ αὐτὰ δὲ καὶ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων καλά τε κἀγαθὰ φαίνεται, πρὸς ταὐτὰ δε καὶ τἄλλα πάντα, οἷς ἄνθρωποι χρῶνται, καλά τε καὶ ἀγαθὰ νομίζετα, πρὸς ἅπερ ἂν εὔχρηστα ᾖ. — — Πάντα γὰρ ἀγαθὰ μὲν καὶ καλά ἐστιν, πρὸς ἃ ἂν εὖ ἔχῃ, κακὰ δὲ καὶ αἰσχρὰ, πρὸς ἃ ἂν κακῶς. (Mem. l. III. c. 8. 4.) — Τὸ δὲ καλὸν ἔχοιμεν ἄν πως ἄλλως εἰπεῖν, ἢ, εἰ ἔστιν, ὀνομάζεις καλὸν ἢ σῶμα, ἢ σκεῦος, ἢ ἀλλ' ὁτιοῦν, ὃ οἶσθα πρὸς πάντα καλὸν ὄν; — Μὰ Δί', οὐκ ἔγωγ', ἔφη. — Ἀρ' οὖν, πρὸς ὃ ἂν ἕκαστον χρήσιμον ᾖ, πρὸς τοῦτο ἑκάστῳ καλῶς ἔχει χρῆσθαι; — Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. — Καλὸν δὲ πρὸς ἄλλο τί ἐστιν ἕκαστον, ἢ πρὸς ὃ ἑκάστω καλῶς ἔχει χρῆσθαι; — Οὐδὲ πρὸς ἓν ἄλλο, ἔφη. — Τὸ χρήσιμον ἄρα καλόν ἐστι, πρὸς ὃ ἂν ᾖ χρήσιμον; — Ἔμοιγε δοκεῖ, ἔφη. (Memor. l. IV. c. 6. 9.)

§. 3.

Aristoteles. (Poetica. Cap. VII. Edit. Graefenhan. [secund. edit. Bip. c. VIII.])

Ἔτι δ' ἐπεὶ τὸ καλὸν καὶ ζῶον καὶ ἅπαν πρᾶγμα συνέστηκεν ἔκ τινῶν, οὐ μόνον ταῦτα τεταγμένα

δεῖ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ μέγεθος ὑπάρχειν μὴ τὸ τυχόν· τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστί. διὸ οὔτε πάμμικρον ἄν τι γένοιτο καλὸν ζῶον, συγχεῖται γὰρ ἡ θεωρία ἐγγὺς τοῦ ἀναισθήτου χρόνου γιγνομένη· οὔτε παμμέγεθες, οὐ γὰρ ἅμα ἡ θεωρία γίγνεται, ἀλλ' οἴχεται τοῖς θεωροῦσι τὸ ἓν καὶ τὸ ὅλον ἐκ τῆς θεωρίας· οἷον εἰ μυρίων σταδίων εἴη ζῶον. ὥςτε δεῖ καθάπερ ἐπὶ τῶν σωμάτων καὶ ἐπὶ τῶν ζώων ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δὲ εὐσύνοπτον εἶναι, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν μύθων ἔχειν μὲν μῆκος, τοῦτο δ' εὐμνημόνευτον εἶναι *).

Nota. Inter *latinos* scriptores vix unus aut alter est, qui de pulchritudine dixerit. Ipse *Cicero* pauca tantummodo, eaque obiter delibavit, quae continentur ferme sequentibus:

---

*) Huic comparandus est locus de pulchritudine, qui in Aristotelis Metaph. l. XIII. c. 3. occurrit et ita sonat: Τοῦ δὲ καλοῦ μέγιστα εἴδη τάξις καὶ συμμετρία καὶ τὸ ὡρισμένον. — *Alexandri Aphrodisiensis*, optimi certe Aristotelicae doctrinae interpretis, de pulchritudine explicatio digna est, quae hic comparetur. In libro scilicet *Alexandri* « *Quod virtus ad felicit. non suffic.* » ita legitur: Κάλλος, ὅ ἐστιν ἐν τῇ εὐσχημοσύνῃ καὶ συμμετρίᾳ τῶν τρίτων ἤδη καὶ ἀνομοιομερῶν σωμάτων, ἃ καὶ μέρη τοῦ σώματος λέγομεν προςεχῆ. — *Hermoginis* quoque et *Plutarchi* de pulchritudine placita huc omnino quadrant. *Hermogenes.* (De formis orationis. l. I. c. 11. p. 164. ed. Sturm.) Καθόλου το κάλλος ἐστὶ συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας. — — — *Plutarchus.* (De auditione. p. 171. Wyttenb.) Ὡς ἐν ἔργῳ δὲ παντὶ τὸ μὲν καλὸν ἐκ πολλῶν οἷον ἀριθμῶν εἰς ἕνα καιρὸν ἡκόντων, ὑπὸ συμμετρίας τινὸς καὶ ἁρμονίας ἐπιτελεῖται· τὸ δ' αἰσχρὸν ἐξ ἑνὸς τοῦ τυχόντος ἐλλείποντος, ἢ προςόντος ἀτόπως, εὐθὺς ἑτοίμην ἔχει τὴν γένεσιν κ. τ. λ.

«Et ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate, ea, quae dicitur *pulchritudo*; sic in animo opinionum judiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis ipsam vim continens, pulchritudo vocatur.» (Tuscul. Disp. l. IV. c. 13.) — «Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt; sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum.» (De off. l. I. c. 28.)

§. 4.

Stoici. (*Stoicorum* de pulchro sententia ad *honesti* notionem referenda est, ita, ut vocibus τοῦ καλοῦ et τοῦ ἀγαθοῦ idem declaretur, licet alioqui τὸ καλὸν intra hunc sensum varias apud eos subeat explicationes. Prae ceteris *Chrysippus*, teste Diog. Laertio [l. VII. §. 101.], hanc doctrinam proposuit ἐν τοῖς περὶ τοῦ καλοῦ. — Quum autem scripta Stoicorum, huc facienta, perierint; sufficiat adscripsisse, quae *D. Laert.* in *Zenone* [VII. 99. 100.] profert *)).

Καλὸν δὲ λέγουσι (οἱ Στωϊκοὶ) τὸ τέλειον ἀγαθὸν, παρὰ τὸ πάντας ἀπέχειν τοὺς ἐπιζητουμένους ἀριθμοὺς ὑπὸ τῆς φύσεως, ἢ τὸ τελείως σύμμετρον· εἴδη δὲ εἶναι τοῦ καλοῦ τέτταρα, δίκαιον, ἀνδρεῖον, κόσμιον, ἐπιστημονικόν· ἐν γὰρ τοῖςδὲ τὰς καλὰς πράξεις συντελεῖσθαι. ἀνάλογον καὶ τοῦ αἰσχροῦ εἶναι εἴδη τέτταρα· τό τε ἄδικον, καὶ δειλὸν καὶ ἄκοσμον, καὶ ἄφρον. λέγεσθαι δὲ τὸ καλὸν μοναχῶς μὲν, τὸ ἐπαι-

*) Cum hoc loco omnino comparandus est *Suidas*, II. p. 233. ed. Kuster.

νετοὺς παρεχόμενον τοὺς ἔχοντας ἀγαθὸν ἐπαίνου ἄξιον· ἑτέρως δὲ, τὸ εὖ πεφυκέναι πρὸς τὸ ἴδιον ἔργον. ἄλλως δὲ, τὸ ἐπικοσμοῦν, ὅταν λέγωμεν τὸν σοφὸν ἀγαθὸν καὶ καλὸν εἶναι λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι *).

§. 5.

Plotinus. (Philosophus hic, Neo-Platonicorum certe princeps, in scriptis suis nostram quoque rem saepius attigit; in sexto autem Ennead. I. libro, qui περὶ τοῦ καλοῦ inscribitur, consulto eam sibi tractandam assumsit. Ipsius decreta a platonicis proxime absunt cumque iisdem maximam fere partem consentiunt. Quae sequuntur, Plotini de pulchritudine doctrinae summam exhibere videntur) **).

Τὸ καλὸν ἔστι μὲν ἐν ὄψει πλεῖστον· ἔστι δ' ἐν ἀκοαῖς κατά τε λόγων συνθέσεις, ἔστι δὲ καὶ ἐν μου-

---

*) Doctrinam hanc de congruentia τοῦ καλοῦ et ἀγαθοῦ, quam etiam *Plotinus* (ut infra videre est) profitetur, ex *Platone* esse derivandam, vix dubitaveris. Cf. v. g. *Plat.* in Alcib. I. Ὅ,τι ἂν ἅμα εὕρωμεν καλόν τε καὶ ἀγαθὸν εὑρήσομεν ἔκ γε τούτου τοῦ λόγου. (p. 30. ed. Bip. et p. 28 seqq.) Item in Protagora p. 189., ubi sic habet: Socr. Τὰς γὰρ καλὰς πράξεις ἁπάσας ἀγαθὰς, ὡμολογήσαμεν. Prot. Ἀληθῆ λέγεις· καὶ ἀεὶ ἔμοιγε δοκεῖ οὕτως. — — — Socr. Οὐκοῦν, εἴπερ καλὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ ἡδύ; Prot. Ὡμολόγηται γοῦν. Vide insuper Hipp. maj. p. 54. Phileb. p. 317 seqq. Sympos. p. 218 et p. 227 seqq. — *Ciceronis* sententia notissima est. V. g. de finib. III. 22. «Recte etiam *pulcher* appellabitur (scil. sapiens); animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis.» Cf. Tuscul. disp. l. IV. c. 13.

**) Librum supra laudatum celeberr. *Fr. Creuzerus* seorsim edidit sub tit. *Plotini liber de pulchritudine.* Heidelbergae, 1814. quam quidem editionem praestantissimam nos hic sequimur.

σικῇ καὶ ἁπάσῃ· καὶ γὰρ μέλη καὶ ῥυθμοὶ εἰσι καλοί. ἔστι δὲ καὶ προϊοῦσι πρὸς τὸ ἄνω ἀπὸ τῆς αἰσθήσεως, καὶ ἐπιτηδεύματα καλὰ, και πράξεις, και ἕξεις, και ἐπιστῆμαι τε καὶ τὸ τῶν ἀρετῶν κάλλος. εἰ δέ τι καὶ πρὸ τούτων, αὐτὸ (scil. res ipsa in tractatus hujus progressu) δείξει· τὶ οὖν δὴ τὸ πεποιηκὸς καὶ τὰ σώματα καλὰ φαντάζεσθαι, καὶ τὴν ἀκοὴν ἐπινεύειν ταῖς φωναῖς ὡς καλαὶ, καὶ ὅσα ἐφεξῆς ψυχῆς ἔχεται, πῶς ποτε πάντα καλά; — — — Λέγεται μὲν δὴ παρὰ πάντων, ὡς εἰπεῖν, ὡς συμμετρία τῶν μερῶν πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς τὸ ὅλον, τὸ, τε τῆς εὐχροίας προςτεθὲν, τὸ πρὸς τὴν ὄψιν κάλλος ποιεῖ, καὶ ἔστιν αὐτοῖς καὶ ὅλως τοῖς ἄλλοις πᾶσι, τὸ καλοῖς εἶναι, τὸ συμμέτροις καὶ μεμετρημένοις ὑπάρχειν· *) οἷς ἁπλοῦν οὐδὲν, μόνον δὲ τὸ σύνθετον ἐξ ἀνάγκης καλὸν ὑπάρξει, τὸ, τε ὅλον ἔσται καλὸν αὐτοῖς. τὰ δὲ μέρη ἕκαστα οὐχ' ἕξει παρ' ἑαυτῶν τὸ καλὰ εἶναι, πρὸς δὲ τὸ ὅλον συντελοῦνται, ἵνα καλὸν ᾖ. Καίτοι δεῖ, εἴπερ ὅλον, καὶ τὰ μέρη καλὰ εἶναι, οὐ γὰρ δὴ ἐξ αἰσχρῶν, ἀλλὰ πάντα κατειληφέναι τὸ κάλλος. (c. I.) — — — (De pulchritudine corporea, quae sequuntur, adscripsisse, sufficiat). Πῶς δὲ καλὰ κἀκεῖνα καὶ ταῦτα; (scil. illa, quae apud nos pulchra videntur et haec, quae super nos pulchra sunt): μετοχῇ εἴδους φαμὲν ταῦτα. πᾶν γὰρ τὸ ἄμορφον, πεφυκὸς μορφὴν καὶ εἶδος δέχεσθαι, ἄμοιρον ὂν λόγου καὶ

---

*) V. g. *Aristoteles* [Poet. c. VII. et Met. l. XIII. c. 3.] *Cicero* [De off. l. I. c. 28.] Aliquo modo ipse *Plato* huc referendus. [V. g. in Phileb. p. 317. ed. Bip. et in Sympos.] Vide supra §. 1. — Comparandus praeter alios adhuc *Clemens Alexandrinus*, Paedagog. III. p. 291. [Potter.], nec minus *Augustinus*, de civit. Dei XXII. 19. qui quidem Ciceronem et Plotinum ob oculos habuisse videtur.

εἴδους, αἰσχρὸν καὶ ἔξω θείου λόγου· καὶ τὸ πάντη αἰσχρὸν τοῦτο· αἰσχρὸν δὲ καὶ τὸ μὴ κρατηθὲν ὑπὸ μορφῆς καὶ λόγου, οὐκ ἀνασχομένης τῆς ὕλης τὸ πάντη κατὰ τὸ εἶδος μορφοῦσθαι. — — Οὕτω μὲν δὴ τὸ καλὸν σῶμα γίγνεται λόγου ἀπὸ θείου ἐλθόντος κοινωνίᾳ. (c. II.) — — — Πῶς δὲ συμφρωνεῖ τὸ περὶ σῶμα τῷ πρὸ τοῦ σώματος; πῶς δὲ τὴν ἔξω οἰκίαν τῷ ἔνδον οἰκίας εἴδει ὁ οἰκοδομικὸς συναρμόσας, καλὴν εἶναι λέγει; — — — Ὅταν ἡ αἴσθησις τὸ ἐν σώμασιν εἶδος ἴδῃ, συνδησάμενον καὶ κρατῆσαν τῆς φύσεως τῆς ἐναντίας, ἀμόρφου οὔσης, καὶ μορφὴν ἐπὶ ἄλλαις μορφαῖς ἐκπρεπῶς ἐποχουμένην, συνελοῦσα ἀθρόον αὐτὸ τὸ πολλαχῇ, ἀνήνεγκέ τε καὶ εἰςήγαγεν εἰς τὸ εἴσω ἀμερὲς ἤδη, καὶ ἔδωκε τῷ ἔνδον σύμφωνον καὶ συναρμόττον καὶ φίλον. — — — Καὶ περὶ μὲν τῶν ἐν αἰσθήσει καλῶν, ἃ δὴ εἴδωλα καὶ σκιαὶ οἷον ἐκδραμοῦσαι, εἰς ὕλην ἐλθοῦσαι, ἐκόσμησάν τε καὶ διεπτόησαν φανεῖσαι, τοσαῦτα. (c. III.) — Περὶ δὲ τῶν προτέρω καλῶν, ἃ οὐκέτι αἴσθησις ὁρᾷν εἴληχε, ψυχὴ δὲ ἄνευ ὀργάνων ὁρᾷ καὶ λέγει, ἀναβαίνοντας δεῖ θεάσασθαι, καταλιπόντας τὴν αἴσθησιν κάτω περιμένειν. (c. IV.) — Γίνεται οὖν ἡ ψυχὴ καθαρθεῖσα εἶδος, καὶ λόγος καὶ πάντη ἀσώματος, καὶ νοερὰ, καὶ ὅλη τοῦ θείου, ὅθεν ἡ πηγὴ τοῦ καλοῦ, καὶ τὰ συγγενῆ πάντα τοιαῦτα. ψυχὴ οὖν ἀναχθεῖσα πρὸς νοῦν, ἐπὶ τὸ μᾶλλόν ἐστι κάλον. — Διὸ καὶ λέγεται ὀρθῶς, τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν τὴν ψυχὴν γίνεσθαι, ὁμοιωθῆναι εἶναι θεῷ, ὅτι ἐκεῖθεν τὸ καλὸν καὶ ἡ μοῖρα ἡ ἑτέρα τῶν ὄντων. μᾶλλον δὲ τὰ ὄντα ἡ καλλονή ἐστιν. — Ὁμοίως δὴ ζητητέον καλόν τε καὶ ἀγαθὸν, καὶ αἰσχρόν τε καὶ κακόν. (c. VI.) — Οὐ δὲ τὸ καλὸν ἂν ἴδοι ψυχὴ, μὴ καλὴ γενομένη. γενέσθω δὴ πρῶτον θεοειδὴς πᾶς, καὶ καλὸς πᾶς, εἰ μέλλει θεάσασθαι θεόν τε καὶ

καλόν. ἥξει γὰρ πρῶτον ἀναβαίνων ἐπὶ τὸν νοῦν, κἀκεῖ πάντα εἴσεται καλὰ τὰ εἴδη, καὶ φήσει τὸ κάλλος τοῦτο εἶναι τὰς ἰδέας. — διαιρῶν δὲ τὰ νοητὰ, τὸ μὲν νοητὸν καλὸν, τὸν τῶν εἰδῶν φήσει τόπον, τὸ δ' ἀγαθὸν, τὸ ἐπέκεινα, καὶ πηγὴν καὶ ἀρχὴν τοῦ καλοῦ. ἢ ἐν τῷ αὐτῷ τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν πρῶτον θήσεται, πλὴν ἐκεῖ τὸ καλόν. [Postrema verba obscuriora esse, nemo non videt. Forte ita explicanda sunt: Praeter id, quod ibi pulchrum, jam *distinctius factum*, ergo *secundarium* aliquid, adest, cui quidem bonum proponendum.] (c. IX.) *).

CAPUT II.

De notionibus quibusdam, quae inprimis ad pulchritudinis vim referri possunt.

§. 6.

De sublimitate.

Dionys. Longinus. [De sublimitate, περὶ ὕψους. Ed. Weiske.]

Ἀναγκαῖον ἤδη διαπορεῖν καὶ ὑποτίθεσθαι, δι' ὅτου τρόπου τὰς ἀνακεκραμένας κακίας τοῖς ὑψηλοῖς ἐκφεύγειν ἂν δυναίμεθα. (Sect. V.) — — Ἔστι δὲ, εἴ τινα περιποησαίμεθ' ἐν πρώτοις καθαρὰν τοῦ κατ' ἀλήθειαν ὕψους ἐπιστήμην καὶ ἐπίκρισιν. Καίτοι τὸ πρᾶγμα δύσληπτον· οὐ μὴν ἀλλ', ὡς εἰπεῖν ἐν παρ-

*) Cf. §. 4. — Omnem hanc Plotini de pulchro doctrinam cum platonica magna ex parte (ut supra monitum est) congruere, in propatulo est. Prae ceteris conferas *Plat.* Sympos. et Phaedrum, ubi pluribus locis de hac re simili modo disseritur (v. g. in Phaedr. p. 328 seqq. ed. Bip, et in Symp. p. 245 seqq.)

αγγέλματι, ἐντεῦθέν ποθεν ἴσως τὴν διάγνωσιν αὐτῶν οὐκ ἀδύνατον πορίζεσθαι. (Sect. VI.) — — Εἰδέναι χρὴ, καθάπερ κἀν τῷ κοινῷ βίῳ οὐδὲν ὑπάρχει μέγα, οὗ τὸ καταφρονεῖν ἐστι μέγα, οἷον πλοῦτοι, τιμαῖ, δόξαι, τυραννίδες, καὶ ὅσα δὴ ἄλλα ἔχει πολὺ τὸ ἔξωθεν προστραγῳδούμενον, οὐκ ἂν τῷ γε φρονίμῳ δόξειεν ἀγαθὰ ὑπερβάλλοντα, ὧν αὐτὸ τὸ περιφρονεῖν ἀγαθὸν οὐ μέτριον· θαυμάζουσι γοῦν τῶν ἐχόντων αὐτὰ μᾶλλον τοὺς δυναμένους ἔχειν καὶ διὰ μεγαλοψυχίαν ὑπερορῶντας· τῇδέ που καὶ ἐπὶ τῶν διηρμένων ἐν ποιήμασι καὶ λόγοις ἐπισκεπτέον, μή τινα μεγέθους φαντασίαν ἔχοι τοιαύτην, ᾗ πολὺ πρόςκειται τὸ εἰκῇ προςαναπλαττόμενον, ἀναπτυσσόμενα δὲ ἄλλως εὑρίσκοιτο χαῦνα· ὧν τοῦ θαυμάζειν τὸ περιφρονεῖν εὐγενέστερον. Φύσει γάρ πως ὑπὸ τἀληθοῦς ὕψους ἐπαίρεταί τε ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ γαῦρόν τι ἀνάστημα λαμβάνουσα πληροῦται χαρᾶς καὶ μεγαλαυχίας, ὡς αὐτὴ γεννήσασα, ὅπερ ἤκουσεν. Ὅταν οὖν ὑπ' ἀνδρὸς ἔμφρονος καὶ ἐμπείρου λόγων, πολλάκις ἀκουόμενόν τι πρὸς μεγαλοφροσύνην τὴν ψυχὴν μὴ συνδιατιθῇ, μηδ' ἐγκαταλείπῃ τῇ διανοίᾳ πλεῖον τοῦ λεγομένου τὸ ἀναθεωρούμενον, πίωτῃ δ', ἂν τὸ συνεχὲς ἐπισκοπῇς, εἰς ἀπαύξησιν· οὐκ ἂν ἔτ' ἀληθὲς ὕψος εἴη, μέχρι μόνης τῆς ἀκοῆς σωζόμενον. Τοῦτο γὰρ τῷ ὄντι μέγα, οὗ πολλὴ μὲν ἡ ἀναθεώρησις, δύσκολος δὲ, μᾶλλον δ' ἀδύνατος ἡ κατεξανάστασις, ἰσχυρὰ δὲ ἡ μνήμη καὶ δυσεξάλειπτος. Ὅλως δὲ καλὰ νόμιζε ὕψη καὶ ἀληθινὰ, τὰ διαπαντὸς ἀρέσκοντα καὶ πᾶσιν. Ὅταν γὰρ τοῖς ἀπὸ διαφόρων ἐπιτηδευμάτων, βίων, ζήλων, ἡλικιῶν, λόγων, ἕν τι καὶ ταὐτὸν ἅμα περὶ τῶν αὐτῶν ἅπασι δοκῇ, τόθ' ἡ ἐξ ἀσυμφώνων ὡς κρίσις καὶ συγκατάθεσις τὴν ἐπὶ τῷ θαυμαζομένῳ πίστιν ἰσχυρὰν λαμβάνει καὶ ἀναμφίλεκτον. (Sect. VII.)

Ἐπεὶ δὲ πέντε, ὡς ἂν εἴποι τις, πηγαί τινές εἰσιν αἱ τῆς ὑψηγορίας γονιμώταται· πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ὡς κἀν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα· δεύτερον δὲ, τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος. Ἀλλ', αἱ μὲν δύο αὗται τοῦ ὕψους κατὰ τὸ πλέον αὐθιγενεῖς συστάσεις· αἱ λοιπαὶ δ' ἤδη καὶ διὰ τέχνης, ἥ τε ποιὰ τῶν σχημάτων πλάσις, (δισσὰ δέ που ταῦτα, τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως) ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ γενναῖα φράσις (ἧς μέρη πάλιν ὀνομάτων τε ἐκλογὴ καὶ ἡ τροπικὴ καὶ πεποιήμενη λέξις·) πέμπτη δὲ μεγέθους αἰτία, καὶ συγκλείουσα τὰ πρὸ ἑαυτῆς ἅπαντα, ἡ ἐν ἀξιώματι καὶ διάρσει σύνθεσις. Φέρε δὴ, τὰ ἐμπεριεχόμενα καθ' ἑκαστὴν ἰδέαν ἐπισκεψώμεθα, τοσοῦτον προειπόντες, ὅτι τῶν πέντε μορίων ὁ Καικίλιος ἕν τι παρέλιπεν, ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει. Ἀλλ' εἰ μὲν ὡς ἕν τι ταῦτ' ἄμφω, τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν, καὶ ἔδοξεν αὐτῷ πάντῃ συνυπάρχειν τε ἀλλήλοις καὶ συμπεφυκέναι, διαμαρτάνει· καὶ γὰρ πάθη τινὰ διεστῶτα ὕψους καὶ ταπεινὰ εὑρίσκεται, καθάπερ οἶκτοι, λῦπαι, φόβοι· καὶ ἔμπαλιν πολλὰ ὕψη δίχα πάθους, ὡς πρὸς μυρίοις ἄλλοις καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἀλωάδας τῷ ποιητῇ παρατετολμημένα·

Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν· αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη·

καὶ τὸ τούτοις ἔτι μεῖζον ἐπιφερόμενον,

Καί νύ κεν ἐξετέλεσσαν.

— — — Εἰ δ' αὖ πάλιν ἐξ ὅλου μὴ ἐνόμισεν ὁ Καικίλιος τὸ ἐμπαθὲς τὰ ὕψη ποτὲ συντελεῖν, καὶ διὰ τοῦτ' οὐχ ἡγήσατο μνήμης ἄξιον, πάνυ διηπάτηται. Θαῤῥῶν γὰρ ἀφορισαίμην ἂν, ὡς οὐδὲν οὕτως, ὡς τὸ γενναῖον πάθος, ἔνθα χρὴ, μεγαλήγορόν ἐστι, ὥςπερ

ὑπὸ μανίας τινὸς καὶ πνεύματος ἐνθουσιαστικοῦ ἐκπνέον καὶ οἱονεὶ φοιβάζον τοὺς λόγους. (Sect. VIII.) — — — Πρῶτον οὖν τὸ, ἐξ οὗ γίνεται (scilic. ὑψηγορία) προϋποτίθεσθαι πάντως ἀναγκαῖον, ὡς ἔχειν δεῖ τὸν ἀληθῆ ῥήτορα μὴ ταπεινὸν φρόνημα καὶ ἀγεννές. Οὐδὲ γὰρ οἷόν τε, μικρὰ καὶ δουλοπρεπῆ φρονοῦντας καὶ ἐπιτηδεύοντας παρ' ὅλον τὸν βίον θαυμαστόν τι καὶ τοῦ παντὸς αἰῶνος ἐξενεγκεῖν ἄξιον. μεγάλοι δὲ οἱ λόγοι τούτων, κατὰ τὸ εἰκὸς, ὧν ἂν ἐμβριθεῖς ὦσιν αἱ ἔννοιαι. Ταύτῃ καὶ εἰς τοὺς μάλιστα φρονηματίας ἐμπίπτει τα ὑπερφυᾶ. (Sect. IX.) *).

§. 7.

De ridiculo sententiae variorum.

Aristoteles. (Poetic. et Rhetor.)

Τὸ γελοῖον ἐστὶν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν· οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης. (Poet. c. 5.) [Τῶν δὲ γελοίων] τὸ μὲν ἁρμόττει ἐλευθέρῳ, τὸ δὲ οὔ· ὅπως οὖν τὸ ἁρμόττον αὐτῷ λήψεται. ἔστι δ' ἡ εἰρωνεία τῆς βωμολοχίας ἐλευθεριώτερον· ὁ μὲν γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον· ὁ δὲ βωμολόχος ἑτέρου. (Rhet. l. III. c. 18.) **).

---

*) De *elocutionis* sublimitate apud varios varia exstant, quae suo loco reddentur.

**) In hoc ipso loco Aristoteles operis περὶ Ποιητικῆς magis elaborati, nunc quidem deperditi, mentionem facit, in quo τὰ περὶ τῶν γελοίων prolixius tractata fuisse videntur. « Περὶ δὲ τῶν γελοίων — — — εἴρηται, πόσα εἴδη γελοίων ἐστίν, ἐν τοῖς περὶ Ποιητικῆς. » Conferantur, quae leguntur ibid. l. I. c. 11. « Ἀνάγκη δὲ, καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶναι. — — Διώρισται δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ Ποιητικῆς. »

Cicero. (De orator. l. II. Edd. Nobbe).

Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. — . Quatenus autem sint ridicula tractanda, perquam diligenter videndum est. Nam nec insignis improbitas et scelere juncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos majore quadam vi, quam ridiculi vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi se forte jactant. Parcendum est autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur. (c. 58.) — Haec igitur adhibenda est primum in jocando moderatio; itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, neque misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis vitiis, quae sunt in vita hominum neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad jocandum. (c. 59.) — — —

Duo sunt genera facetiarum, quorum alterum *re* tractatur, alterum *dicto*. *Re*, siquando quid tanquam aliqua fabella narratur. (c. 59.) — — — Est autem haec hujus generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores ejus, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur. In re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet. — — — In *dicto* autem ridiculum est id, quod verbi aut sententiae quodam acumine movetur: sed ut in illo superiore genere vel narrationis vel imitationis vitanda est mimorum ethologorum similitudo;

sic in hoc scurrilis dicacitas magnopere fugienda est. (c. 60.) — — — Quod, quibuscumque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem. (c. 62.)

Quintilianus. (Instit. orator. l. VI. c. 3. Ed. *Spalding.*)

Proprium autem materiae, de qua nunc loquimur, est *ridiculum:* ideoque haec tota disputatio a graecis *περὶ γελοίου* inscribitur. Ejus prima divisio traditur eadem, quae est omnis orationis, ut sit positum in *rebus* aut in *verbis.* Usus autem maxime simplex. Aut enim ex aliis risum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus mediis. Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus aut eludimus. Nostra ridicule indicamus et, ut verbo Ciceronis utar, dicimus aliqua subabsurda. Namque eadem, quae, si imprudentibus excidant, stulta sunt, si simulamus, venusta creduntur. Tertium est genus, ut idem dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis ceterisque, quae neutram personam contingunt, ideoque a me media dicuntur. Item ridicula aut facimus aut dicimus. Facto risus conciliatur, interim admixta gravitate. — — Idem autem de vultu gestuque ridiculo dictum sit (scil. ut sit admixta gravitas cum respectu pudoris); in quibus est quidem summa gratia, sed major, cum captare risum non videntur. Nihil enim est his, quae sicut salsa dicuntur, insulsius. Quamquam autem gratiae plurimum dictis severitas affert, fitque ridiculum idipsum, quod qui dicit, non ridet; est tamen interim et aspectus et habitus oris et gestus non inurbanus, cum iis modus contingit. Id porro, quod dicitur,

aut est lascivum et hilare, aut contumeliosum, aut asperum, aut lene. Refert, his ubi quis utatur. — — — Obscoenitas non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione. — — — Vitandum etiam, ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempore alienum, ne praeparatum et domo allatum videatur, quod dicimus. Nam adversus miseros inhumanus est jocus *). Sed quidam ita sunt receptae auctoritatis ac notae verecundiae, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia. — — — Ea, quae dicit vir bonus, omnia salva dignitate ac verecundia dicet. Nimium enim risus pretium est, si probitatis impendio constat. Unde autem concilietur risus et quibus ex locis peti soleat, difficillimum dicere. Nam, si species omnes persequi velimus, nec modum reperiemus et frustra laborabimus **).

---

*) Conferantur, quae habet *Cicero* Orat. c. 26. « Illud admonemus tamen, *ridiculo* sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit; nec subobscoeno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odii locum risus occupet; neque aut sua persona, aut judicum, aut tempore alienum. Haec enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quaesita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quae plerumque sunt frigida. Parcet et amicitiis et dignitatibus; vitabit insanabiles contumelias, tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. »

**) *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus, natura non utique hoc est; quamquam et ridicula oporteat esse salsa. (Ita noster l. VI. c. 3. §. 18.)

§. 8.

De miserationis, quoad vim aestheticam, notione.

Aristoteles. (Rhetor. l. II. c. 8. ed. Bipont.)

Ποῖα δὲ ἐλεεινὰ, καὶ τίνας ἐλεοῦσιν, καὶ πῶς αὐτοὶ ἔχοντες, λέγωμεν. Ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προςδοκήσειεν ἂν παθεῖν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινα· καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται· *) δῆλον γὰρ, ὅτι ἀνάγκη, τὸν μέλλοντα ἐλεήσειν ὑπάρχειν τοιοῦτον, οἷον οἰήσεσθαι παθεῖν ἄν τι κακὸν ἢ αὐτὸν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινα, καὶ τοιοῦτον κακὸν, οἷον εἴρηται ἐν τῷ ὅρῳ, ἢ ὅμοιον, ἢ παραπλήσιον. Διὸ οὔτε οἱ παντελῶς ἀπολωλότες ἐλεοῦσιν· οὐδὲν γὰρ ἂν ἔτι παθεῖν οἴονται· πεπόνθασι γάρ· οὔτε οἱ ὑπερευδαιμονεῖν οἰόμενοι, ἀλλ' ὑβρίζουσιν· εἰ γὰρ ἅπαντα οἴονται ὑπάρχειν τἀγαθὰ, δῆλον, ὅτι καὶ τὸ μὴ ἐνδέχεσθαι παθεῖν τι κακόν· καὶ γὰρ τοῦτο τῶν ἀγαθῶν.

---

*) Conferatur definitio misericordiae, quae est apud Diog. Laertium in *Zenone:* Ἔλεός ἐστι λύπη, ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι. Item illa, quam legimus in Ciceronis *Tuscul.* l. IV. c. 8.: Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, injuria laborantis. Nemo enim parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur. — Et (l. III. c. 11.): Aegritudo est opinio magni mali praesentis, et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi.

CAPUT III.

De artibus in genere.

§. 9.

Plato. (Artem quidem omnem ex parte saltem imitatione contineri, philosophorum iste princeps facile concedit, negat autem, *solam* imitationem, ut quae externam modo speciem, non rei ipsius veritatem et rectitudinem exprimat, ad artis perfectionem sufficere. Veram praeterea imitationem a falsa, sive phantastica, probe esse discernendam, docet).

Ἴθι δὴ τόδε ἄθρει· ὁ τοῦ εἰδώλου ποιητής, ὁ μιμητής φαμέν, τοῦ μὲν ὄντος οὐδὲν ἐπαΐει, τοῦ δὲ φαινομένου. Οὐχ' οὕτω; Ναί. — — — *Οὔτε ἄρα εἴσεται, οὔτε ὀρθὰ δοξάσει ὁ μιμητὴς περὶ ὧν ἂν μιμῆται, πρὸς κάλλος ἢ πονηρίαν. Οὐκ ἔοικε. Χαρίεις ἂν εἴη ὁ ἐν τῇ μιμήσει μιμητικὸς πρὸς σοφίαν περὶ ὧν ἂν ποιῇ; Οὐ πάνυ. Ἀλλ' οὖν δὴ ὅμως γε μιμήσεται, οὐκ εἰδὼς περὶ ἑκάστου ὅπη πονηρὸν ἢ χρηστόν· ἀλλ', ὡς ἔοικεν, οἷον φαίνεται καλὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς τε καὶ μηδὲν εἰδόσι, τοῦτο μιμήσεται.* (De rep. l. X. p. 295 et 297. ed. Bip.) — — — *Τὶ δαί; τὸ φαινόμενον μὲν, διὰ τὴν οὐκ ἐκ καλοῦ θέαν, ἐοικέναι τῷ καλῷ, δύναμιν δὲ εἴτις λάβοι τὰ τηλικαῦτα ἱκανῶς ὁρᾶν, μηδὲ εἰκὸς ᾧ φησὶν ἐοικέναι, τί καλοῦμεν; ἆρ' οὐκ, ἐπείπερ φαίνεται μὲν, ἔοικε δὲ οὔ, φάντασμα; — Τί μήν; — Τὴν δὴ φάντασμα, ἀλλ' οὐκ εἰκόνα ἀπεργαζομένην τέχνην, ἆρ' οὐ φανταστικὴν ὀρθότατ' ἂν προσαγορεύοιμεν; — Πολύ γε.* — (Sophista. p. 239.) [Voluptatem quoque artes sequi posse, a Platone conceditur, quin tamen eorum sententia, qui ex voluptate potius, quam ex rei ipsius

veritate atque rectitudine artis opera esse judicanda putant, ipsi probetur].

Τί δέ; τῇ τῶν ὁμοίων ἐργασίᾳ, ὅσαι τέχναι εἰκαστικαί, ἆρ' οὐκ ἂν τοῦτο ἐξεργάζωνται, τὸ μὲν ἡδονὴν ἐν αὐτοῖς γίγνεσθαι, παρεπόμενον ἐὰν γίγνηται, χάριν αὐτὸ δικαιότατον ἂν εἴη προςαγορεύειν; — Ναί. — Τὴν δέ γε ὀρθότητά που τῶν τοιούτων ἡ ἰσότης ἄν, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ἐξεργάζοιτο τοῦ τε τοσούτου καὶ τοῦ τοιούτου πρότερον, ἀλλ' οὐχ ἡδονή. — Καλῶς. — — Ἆρ' οὖν οὐ πᾶσαν μίμησιν φαῖμεν ἄν, ἐκ τῶν νῦν λεγομένων, ἥκιστα ἡδονῇ προςήκειν κρίνεσθαι καὶ δόξῃ μὴ ἀληθεῖ, καὶ δὴ καὶ πᾶσαν ἰσότητα; Οὐ γὰρ εἴ τῳ δοκεῖ, ἢ μή τις χαίρει τῳ, τό γε ἴσον, οὐδὲ τὸ σύμμετρον ἂν εἴη σύμμετρον ὅλως· ἀλλὰ τῷ ἀληθεῖ πάντων μάλιστα, ἥκιστα δὲ ὁτῳοῦν ἄλλῳ. — Παντάπασι μὲν οὖν. — — — Καὶ τούτοις δὴ τοῖς τὴν καλλίστην ᾠδήν τε ζητοῦσι καὶ μοῦσαν, ζητητέον ὡς ἔοικεν, οὐχ ἥτις ἡδεῖα, ἀλλ' ἥτις ὀρθή. μιμήσεως γὰρ ἦν ὀρθότητος, εἰ τὸ μιμηθέν, ὅσόν τε καὶ οἷον ἦν, ἀποτελοῖτο. (De legg. l. II. p. 89 et 90.) — — — Δεῖ δὴ καθ' ἕκαστόν γε, ὡς ἔοικε, γιγνώσκειν τῶν ποιημάτων, ὅ, τι ποτέ ἐστι, τὸν μέλλοντα ἐν αὐτῷ μὴ ἁμαρτήσεσθαι. μὴ γὰρ γιγνώσκων τὴν οὐσίαν τί ποτε βούλεται, καὶ ὅτου ποτέ ἐστιν εἰκὼν ὄντως, σχολῇ τήν γε ὀρθότητα τῆς βουλήσεως ἢ καὶ ἁμαρτίαν αὐτοῦ διαγνώσεται. —. Ὁ δὲ τὸ ὀρθῶς μὴ γιγνώσκων, ἆρ' ἄν ποτε τό γε εὖ καὶ κακῶς δυνατὸς εἴη διαγνῶναι; — — — Ἆρ' οὖν οὐ περὶ ἑκάστην εἰκόνα καὶ ἐν γραφικῇ καὶ ἐν μουσικῇ καὶ πάντῃ τὸν μέλλοντα ἔμφρονα κριτὴν ἔσεσθαι δεῖ ταῦτα τρία ἔχειν; ὅ, τέ ἐστι, πρῶτον γιγνώσκειν, ἔπειτα ὡς ὀρθῶς, ἔπειθ' ὡς εὖ, τὸ τρίτον, εἴργασαι τῶν εἰκόνων ἡτισοῦν ῥήμασί τε καὶ μέλεσι καὶ τοῖς ῥυθμοῖς; — Ἔοικε

γοῦν. — (De legg. l. II. p. 91 et 92.) — — Ἡ μὲν ἀσχημοσύνη καὶ ἀῤῥυθμία καὶ ἀναρμοσία κακολογίας καὶ κακοηθείας ἀδελφά· τὰ δ' ἐναντία τοῦ ἐναντίου, σώφρονός τε καὶ ἀγαθοῦ ἤθους, ἀδελφά τε καὶ μιμήματα. — Παντελῶς μὲν οὖν, — Ἆρ' οὖν τοῖς ποιηταῖς ἡμῖν μόνον ἐπιστατητέον, καὶ προςαναγκαστέον, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ εἰκόνα ἤθους ἐμποιεῖν τοῖς ποιήμασιν, ἢ μὴ παρ' ἡμῖν ποιεῖν; ἢ καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς ἐπιστατητέον καὶ διακωλυτέον τὸ κακόηθες τοῦτο, καὶ ἀκόλαστον, καὶ ἀνελεύθερον, καὶ ἄσχημον, μήτε ἐν εἰκόσι ζώων, μήτε ἐν οἰκοδομήμασι, μήτε ἐν ἄλλῳ μηδενὶ δημιουργουμένῳ ἐμποιεῖν; — Ἀλλ' ἐκείνους ζητητέον τοὺς δημιουργοὺς, τοὺς εὐφυῶς δυναμένους ἰχνεύειν τὴν τοῦ καλοῦ τε καὶ εὐσχήμονος φύσιν. (De republ. l. III. p. 291 et 292.) — — — Συγχωρῶ δὴ, ἐκείνην εἶναι μοῦσαν καλλίστην, ἥτις τοὺς βελτίστους καὶ ἱκανῶς πεπαιδευμένους τέρπει· μάλιστα δὲ εἴτις ἕνα τὸν ἀρετῇ τε καὶ παιδείᾳ διαφέροντα. διὰ ταῦτα δὲ ἀρετῆς φαμὲν δεῖσθαι τοὺς τούτων κριτὰς, ὅτι τῆς τε ἄλλης μετόχους αὐτοὺς εἶναι δεῖ φρονήσεως, καὶ δὴ καὶ τῆς ἀνδρείας. — Οὐ γὰρ μαθητὴς, ἀλλὰ διδάσκαλος, ὥς γε τὸ δίκαιον, θεατῶν μᾶλλον ὁ κριτὴς καθίζει, καὶ ἐναντιωσόμενος τοῖς τὴν ἡδονὴν μὴ προςηκόντως μηδὲ ὀρθῶς ἀποδιδοῦσι θεαταῖς. (De legg. II. p. 71 et 72.) *).

*) Ad artem proprie dictam Plato referre videtur τὸ δαιμόνιον εἶναι; quamobrem δαιμόνιον ἄνδρα distinguit a βαναύσῳ, qui artes inferiores [illiberales], inprimis eas, quae manibus perficiuntur [χειρουργίαι] callet tractatque Vid. praeter al. Sympos. p. 230. ed. Bip.

§. 10.

Aristoteles. (Huic philosopho ars omnis imitatione absolvitur; quod quidem de poesi ejusque speciebus inprimis probare conatur).

Πᾶσαι (scil. τέχναι, de quibus hoc loco agit) τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις τὸ σύνολον. διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τρισίν. ἢ γὰρ τῷ γένει ἑτέροις μιμεῖσθαι, ἢ τῷ ἕτερα, ἢ τῷ ἑτέρως καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον. ὥςπερ γὰρ καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι πολλὰ μιμοῦνταί τινες ἀπεικάζοντες, οἱ μὲν διὰ τέχνης, οἱ δὲ διὰ συνηθείας, ἕτεροι δὲ δι' ἀμφοῖν· οὕτω καὶ ἐν ταῖς εἰρημέναις τέχναις ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ καὶ ἁρμονίᾳ· τούτοις δὲ ἢ χωρὶς, ἢ μεμιγμένοις. εἰσὶ δέ τινες, αἳ πᾶσι χρῶνται τοῖς εἰρημέναις. ταύτας μὲν οὖν λέγω τὰς διαφορὰς τῶν τεχνῶν, ἐν αἷς *) ποιοῦνται τὴν μίμησιν. (Poet. c. I.) **).

§. 11.

Dion. Longinus. (Sect. XXII. §. 1.)

Τότε γὰρ ἡ τέχνη τέλειος, ἡνίκ' ἂν φύσις εἶναι δοκῇ, ἡ δ' αὖ φύσις ἐπιτυχὴς, ὅταν λανθάνουσαν περιέχῃ τὴν τέχνην ***).

---

*) Alii legunt: ἐν οἷς.

**) Quamquam Aristoteles hoc capite praecipue de arte poetica ejusque speciebus loquitur; eandem tamen et circa reliquas artes ipsum tueri sententiam, ex iis, quae cap. II. de nonnullis pictoribus profert, satis apparet.

***) Conferatur *Kantii* de arte sententia. « Die Kunst soll Natur zu seyn scheinen, ohne Natur zu seyn. » Vid. Kant, Kritik d. Urtheilskraft §. 45.

§. 12.

Cicero. [Paucissima sunt, quae in Ciceronis libris de artis (proprie dictae) natura ac constitutione disserantur. Distincta ejusdem definitio omnino desideratur].

Ars, cum a natura profecta sit, nisi natura moveat ac delectet, nihil sane egisse videtur. (De orat. l. III. c. 51.) — — — Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una aut duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? Quas si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus; sed quum alterum percepta et comprehensa tenere videmus, alterum non item. Quumque artium aliud ejusmodi genus sit, ut tantummodo animo rem cernat; aliud, ut moliatur aliquid et faciat; quomodo aut geometres cernere ea potest, quae aut nulla sunt aut internosci a falsis non possunt; aut is, qui fidibus utitur, explere numeros et conficere versus? Quod idem in similibus quoque artibus continget, quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit? (Acad. quaest. l. II. c. 7.) — Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures, dissimiles inter se; quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, jucundissimum esse videatur: et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent: et reliquos sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile judicium excellentis maxime suavitatis.

At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. *Una* fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. *Una* est ars ratioque picturae, dissimilimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte deesse videatur. Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum (et tamen verum): quanto admirabilius in oratione atque lingua? quae, quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. (De orat. l. III. c. 7.)

§. 13.

Quintilianus. (Hic quoque paucissima tantum de arte universa, eaque velut ἐν παρόδῳ docet.)

Illud admonere satis est, omnia, quae ars consummaverit, a natura initia duxisse. (Inst. or. l. II. c. 17.) — — — Nihil ars sine materia (scilic. quae a natura petenda est), materiae etiam sine arte pretium est. Ars summa materia optima melior. (L. II. c. 19.) — — Cum sint autem artium *) aliae positae in inspectione, id est cognitione et aestimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu con-

*) Monendum est, Nostrum, ut fere omnes scriptores latinos, artis vocabulum sensu latiori usurpare, quo idem ac doctrina aut disciplina significat; quod et Graecis in vocibus suis τέχνη et ἐπιστήμη usitatum esse, constat.

tenta, quae θεωρητικὴ vocatur; aliae in agendo, quarum in hoc finis est et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quae πρακτικὴ dicitur, qualis est saltatio; aliae in effectu, quae operis, quod oculis subjicitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis est pictura: fere judicandum est, rhetoricen in actu consistere. (L. II. c. 18.)

PARS SECUNDA.

DE ARTE LITERARIA.

PARS SECUNDA.

DE ARTE LITERARIA.

(Per artem literariam hic declarari universam pulchre dicendi et scribendi facultatem, primo statim intuitu apparet. Conferatur tamen Aesthet. liter. *vernac* Tom. I. p. 49 seqq. §. 63 seqq.)

SECTIO PRIMA.

De universa artis literariae natura ac constitutione.

(Doctrina, quae de artis literariae natura ac constitutione in universum explicare vult, ea complectetur praecepta, quae poeticae et prosae orationi communia sunt, quaeque cum *elocutionem* tum *materiam* spectare possunt. Cf. Aesthet. liter. *vernac.* §. 66 seqq. p. 51 seqq.)

A.

De elocutione in universum *).

§. 14.

Λέγω δὲ λέξιν εἶναι τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν, ὃ καὶ ἐπὶ τῶν ἐμμέτρων καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἔχει τὴν αὐτὴν δύναμιν. (*Aristoteles* Poetic. c. VI.) **).

---

*) Elocutio apud Graecos varie appellatur. V. g. λέξις secundum *Aristotelem*, φράσις sec. *Dionys. Longin.* & alios, ἑρμηνεία sec. *Demetrium.*

**) De sermonis utilitate ac dignitate haec praestantissime praefantur *Quintil.* et *Cicero.* « Et hercle Deus ille prin-

§. 15.

De recta nominum ratione.

Plato. (In *Cratyl.* p. 230 seqq. ed. Bip.)

Herm. Κρατύλος φησὶν ὅδε, ὦ Σώκρατες, ὀνόματος ὀρθότητα εἶναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων φύσει πεφυ-

---

ceps, parens rerum, fabricatorque mundi nullo magis hominem separavit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate praestantiora in illis mutis videmus: eadem minus egere acquisitae extrinsecus opis. Nam ingredi citius, et pasci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, et arma his ingenita quaedam, et ex obvio fere victus: circa quae omnia multus hominibus labor. Rationem igitur praecipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi, quae concupissemus mente, promere etiam *loquendo* possemus: quod magis deesse ceteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quandam videmus. Nam et moliri cubilia, et nidos texere, et educare foetus, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quaedam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum et mellis, efficere, nonnullius fortasse rationis est: sed quia carent *sermone*, quae id faciunt, muta atque irrationabilia vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille coelestis? Quare si nihil a diis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus? aut in quo malimus praestare hominibus, quam quo ipsi homines ceteris animalibus praestant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde et quousque jam provecta sit orandi facultas. Et adhuc augeri potest.» (*Quint.* Inst. orat. l. II. c. 16. §. 12 seqq.)

κυῖαν· καὶ οὐ τοῦτο εἶναι ὄνομα, ὅ, τι ἂν τινες συνθέμενοι καλεῖν, καλῶσι, τῆς αὐτῶν φωνῆς μόριον ἐπιφθεγγόμενοι· ἀλλὰ ὀρθότητά τινα τῶν ὀνομάτων πεφυκέναι καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις τὴν αὐτὴν ἅπασιν. — — Καὶ μὴν ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, πολλάκις δὴ καὶ τούτῳ διαλεχθεὶς καὶ ἄλλοις πολλοῖς, οὐ δύναμαι πεισθῆναι ὡς ἄλλη τὶς ἐστὶν ὀρθότης ὀνόματος, ἢ συνθήκη καὶ ὁμολογία. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, ὅ, τι ἄν τις τῷ θῆται ὄνομα, τοῦτο εἶναι καὶ τὸ ὀρθόν. — — — *Socr.* Κινδυνεύει, ὦ Ἑρμόγενες, εἶναι οὐ φαῦλον, ὡς σὺ οἴει, ἡ τοῦ ὀνόματος θέσις, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν, οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων. καὶ Κρατύλος ἀληθῆ λέγει, λέγων φύσει τὰ ὀνόματα εἶναι τοῖς πράγμασι, καὶ οὐ πάντα δημιουργὸν ὀνομάτων εἶναι, ἀλλὰ μόνον ἐκεῖνον τὸν ἀποβλέποντα εἰς τὸ τῇ φύσει ὄνομα ὂν ἑκάστῳ, καὶ δυνάμενον αὐτοῦ τό γε εἶδος τιθέναι εἴς τε τὰ γράμματα καὶ τὰς συλλαβάς. [p. 244.] (Post satis multam de origine nominum disputationem Socrates

---

His comparanda, quae *Cicero* monet: Ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod *loqui* possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. (De invent. l. I. c. 4. §. 5.) — Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra curiamque meditere, quid esse potest in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod *colloquimur* inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat? (De orat. l. I. c. 8. §§. 32 et 33.)

sive potius Plato in eam sententiam videtur inclinare, qua exstitisse primos nominum impositores, [onomothetas] statuitur, quin tamen firmiter ei adsentiatur) *).

CAPUT I.

De simplicis elocutionis virtutibus, sive de elegantia **).

§. 16.

Aristoteles. (Rhetor. l. III.)

Ἔστω οὖν ἐκεῖνα τεθεωρήμενα· καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι· σημεῖον γάρ, ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν

*) Attingitur in dialogo supra laudato vel ipsa recentiorum quorundam de divina orationis manifestatione sententia. Cratylus quippe haec profitetur: Οἶμαι μὲν ἐγὼ τὸν ἀληθέστατον λόγον περὶ τούτων εἶναι, ὦ Σώκρατες, μείζω τινὰ δύναμιν εἶναι ἢ ἀνθρωπείαν, τὴν θεμένην τὰ πρῶτα ὀνόματα τοῖς πράγμασιν, ὥςτε ἀναγκαῖον εἶναι αὐτὰ ὀρθῶς ἔχειν. (p. 342 et 343.)

Platoni hoc in loco comparandus *Quintilianus* videtur. (Inst. orat. l. I. c. 6.): Sermo constat ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine. Rationem praestat praecipue analogia, nonnunquam et etymologia. Vetera majestas quaedam, et, ut sic dixerim, religio commendat. Auctoritas ab oratoribus vel historicis peti solet; nam poetas metri necessitas excusat. — Consuetudo vero certissima loquendi magistra; utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Omnia tamen haec exigunt acre judicium; analogia praecipue.

**) *Elegantiae* vocabulo antiquis scriptoribus, et inprimis *Ciceroni*, subintelligitur simplex sermonis munditie, quae tribus continetur partibus, *puritate*, *perspicuitate* et *venustate* sive *urbanitate*. — Cf. v. g. *Auct. ad Heren.*

μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. (l. l. c. 2. ed. *Buhle*) *). — Τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθική, καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται, μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς. (Ibid. c. 7.) — Πόθεν δὲ λέγεται τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ εὐδοκιμοῦντα, λεκτέον. ποιεῖν μὲν οὖν ἐστι τοῦ εὐφυοῦς, ἢ τοῦ γεγυμνασμένου. — Ἀνάγκη δὲ, καὶ λέξιν (καὶ ἐνθυμήματα) ταῦτα εἶναι ἀστεῖα, ὅσα ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν ταχεῖα. (Ibid. c. 10.) — Ἔστι δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα τὰ πλεῖστα διὰ μεταφορᾶς καὶ ἐκ τοῦ προσεξαπατᾷν· μᾶλλον γὰρ γίγνεται δῆλον, ὅτι ἔμμαθε παρὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν, καὶ εἴοκε λέγειν ἡ ψυχὴ, ὡς ἀληθῶς, ἐγὼ δὲ ἥμαρτον. καὶ τῶν ἀποφθεγμάτων δὲ τὰ ἀστεῖα ἐστιν ἐκ τοῦ μὴ, ὅ φησι, λέγειν. — Καὶ τὰ εὖ ᾐνιγμένα διὰ τὸ αὐτὸ ἡδέα· μάθησις γὰρ καὶ λέγεται μεταφορά. καὶ ὃ λέγει Θεόδωρος **), τὸ καινὰ λέγειν. γίγνεται δὲ, ὅταν παράδοξον ᾖ, καὶ μὴ, ὡς ἐκεῖνος λέγει, πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν· ἀλλ' ὥςπερ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα. —— Ὅσῳ δ' ἂν πλείω ἔχῃ, τοσούτῳ ἀστειότερον φαίνεται· οἷον, εἰ καὶ τὰ ὀνόματα μεταφορὰ εἴη, καὶ μεταφορὰ τοιαδὶ, καὶ ἀντίθεσις, καὶ παρίσωσις, καὶ ἔχοι ἐνέργειαν. (Ibid. c. 11.)

(l. IV. c. 12.) Elegantia est, quae facit, ut unumquodque pure et aperte dici videatur. Haec distribuitur in Latinitatem et explanationem. Compares huic loco *Ciceronis* Orat. c. 23. et Aesthet. lit. vernac. Tom. II. §. 277 seqq. nec minus *Ernesti*, Init. rhet. p. 134 seqq.

*) Cf. *Arist.* Poet. c. 22. Λέξεως δὲ ἀρετὴ, σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. —

**) Loquitur de Theodoro Byzantio, Sophista.

Ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ Ἑλληνίζειν. (Ibid. c. 5.) *). — — —

§. 17.

Quintilianus. (Inst. orat.)

(Igitur), quam Graeci *φράσιν* vocant, Latini dicimus *elocutionem.* (l. VIII. c. 1.) **). — — Eloqui hoc est, omnia, quae mente conceperis, promere atque ad audientes perferre, sine quo supervacua sunt priora (videlic. inventio et dispositio) et similia gladio condito atque intra vaginam suam haerenti ***). Hoc itaque maxime docetur; hoc nullus

*) Τὸ Ἑλληνίζειν significat «pure et recte loqui.»

**) Monendum videtur, Quintiliani, nec non Ciceronis de elocutione praecepta, inprimis ad elocutionem *oratoriam* referri, valere autem re vera, ut proponuntur, (omissis scilicet omittendis) de elocutione in genere.

***) *Auctor ad Herennium* elocutionem ita definit: Elocutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. (l. I. c. 2.) — De singulis verbis haec, quam brevissima, legas apud *Ciceron.* (De partit. orat. c. V. §§. 16 et 17.): Prima vis est in simplicibus verbis; in conjunctis secunda. Simplicia invenienda sunt; conjuncta collocanda. Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quae significata sunt sensu; reperta, quae ex his facta sunt et novata aut similitudine aut imitatione aut inflexione aut adjunctione verborum. Atque etiam est haec distinctio in verbis; altera natura, tractatione altera. *Natura,* ut sint alia sonantiora, grandiora, leviora et quodammodo nitidiora, alia contra; *tractatione* autem, quum aut propria sumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab oratore modificata et inflexa

nisi arte adsequi potest; hoc exercitatio petit, hoc imitatio; hîc omnis aetas consumitur. Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. Occurram enim, necesse est, et, velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis, qui omissa rerum (qui nervi sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia decoris, quod est in dicendo, mea quidem opinione, pulcherrimum; sed quum sequitur, non quum adfectatur. Corpora sana, et integri sanguinis, et exercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque et colorata et adstricta et lacertis expressa sunt; sed eadem, si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, foedissima sunt ipso formae labore. Et cultus concessus atque magnificus addit hominibus, ut graeco versu testatum est *), auctoritatem; at muliebris et luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorumdam eloquutio res ipsas effoeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem. Nam plerumque optima rebus cohaerent, et cernuntur suo lumine; at nos quaerimus illa,

---

quodammodo: qualia sunt ea, quae transferuntur aut immutantur, aut ea, quibus tamquam abutimur, aut ea, quae obscuramus, quae incredibiliter tollimus, quaeque mirabilius, quam sermonis consuetudo patitur, ornamus.

*) Ad quem versum Noster alludat, frustra adhuc quaesitum est. Erasmi (Chil. 3, 1, 60.) opinio, quam vulgo sequuntur, designari a Fabio Odyss. VI. 29. omni omnino fundamento destituitur. Illud Scaligeri: Εἵματα ἀνήρ: Vestis virum facit, ex hoc ipso Fabii loco fictum esse videtur. Cf. Quint. ed. Spald. Vol. III. p. 187.

tamquam lateant semper, seque subducant. Ita numquam putamus, circa id esse, de quo dicendum est; sed ex aliis locis petimus, et inventis vim adferimus. — Atque plerosque videas haerentes circa singula et dum inveniunt, et dum inventa ponderant ac dimentiuntur. Quod etiam si idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen haec infelicitas erat, quae et cursum dicendi refrenat et calorem cogitationis exstinguit mora et diffidentia. Miser enim et, ut sic dicam, pauper est (scriptor), qui nullum verbum aequo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem eloquendi primum cognoverit, tum lectione multa et idonea copiosum sibi verborum suppellectilem compararit et huic adhibuerit artem collocandi; deinde haec omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promtu sint et ante oculos. Namque hoc qui fecerit, ei res cum nominibus suis occurrent. Sed opus est studio praecedente et acquisita facultate et quasi reposita. Namque ista quaerendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non dum dicimus *). — Quibusdam tamen nullus finis calumniandi se et cum singulis paene syllabis commorandi **): qui, etiam cum optima sunt reperta, quaerunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt, jacere sensus in oratione, in qua verba lau-

*) Huic comparanda praecipue Aesthec. liter. vernac. Tom. I. §. 100. et T. II. §. 268. sub c.

**) Inde κακιζότεχνοι nuncupati, qui ob nimium verborum studium sese ipsi observant et calumniantur. *Calvus*, orator, secundum Ciceronem (v. Brut. c. 82.) et *Callimachus*, statuarius, secundum Plinium (vid. Plin. H. N. XXXIV. c. 8. T. 3. p. 391. ed. Lug. Bat.) hoc vitio inprimis insignes fuere.

dantur. — Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta. (Quint. l. c. l. VIII. in proemio).

Elocutionem spectamus verbis aut *singulis* aut *conjunctis*. In *singulis* intuendum est, ut sint latina *), perspicua, ornata, ad id, quod efficere volumus accommodata; in *conjunctis*, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Sed ea, quae de ratione *Latine* atque *emendate* loquendi fuerunt dicenda, in libro primo, cum de grammatice loqueremur, executi sumus. (Praesertim cap. 5.) Verum illic tantum, ne vitiosa essent, praecepimus; hic non alienum est admonere, ut sint quam minime *peregrina* et *externa*. Multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias, quos curiose potius loqui dixeris, quam Latine. (l. c. l. VIII. c. 1.)

*) *Latine* loqui idem est ac pure loqui, eique respondet in graeca lingua τὸ ἑλληνίζειν (cf. Aristot. Rhet. l. III. c. 5.) Sed conferantur, quae de sermonis latinitate habet *Cicero* de orat. l. III. c. 10, 11 et 13. quaeque ex aliqua parte infra adscripta legas. Huc autem proxime sequentia quadrant: Quinam dicendi modus est melior, quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte et congruenter dicamus? (De or. l. III. c. 10.) —. — Atque ut latine loquamur, non solum videndum est, ut verba referamus ea, quae nemo jure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conseramus (alii legunt «*conservemus*»), ut nequid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit: sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus. (Ibid. c. 11.) — Latinitas est, quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. (Auct. ad Her. l. IV. c. 12. §. 17.)

Perspicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem; sed proprietas ipsa non simpliciter accipitur *). Primus enim intellectus est sua cujusque rei appellatio; qua non semper utemur. Nam et abscoena vitabimus, et sordida et humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum aut ordinis. In quo vitio cavendo non mediocriter errare quidam solent, qui omnia, quae sunt in usu, etiam si causae necessitas postulet, reformident. — — In hac (autem) proprietatis specie, quae nominibus ipsis cujusque rei utitur, nulla virtus est; atque ei contrarium est vitium id, quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Graecos vocatur, quale est:

— — Tantum sperare dolorem **).

Non tamen, quidquid non erit proprium, protinus et improprii vitio laborabit; quia primum omnium multa sunt et graece et latine non denominata. — Unde abusio, quae κατάχρησις dicitur ***), neces-

---

*) *Dilucidum* fit usitatis verbis, propriis, dispositis, aut circumscriptione conclusa, aut intermissione aut concisione verborum. Obscurum autem aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate aut inflexione atque immutatione verborum. (*Cicer.* De partit. orat. c. VI. §. 19.)

**) *Virgil.* Aen. l. IV. v. 419. Totus, ad quem alluditur, locus ita sonat:

Hunc ego, si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero.

***) Cf. quae est apud Auct. ad Heren. (l. IV. c. 33. §. 45.) *abusionis* definitio: Abusio est, quae verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur hoc modo: Vires hominum *breves* sunt, aut *parva* statura, aut *longum* in homine consilium, aut oratio *magna*, aut uti *pauco* sermone. Nam hic facile est intellectu, finitima verba rerum dissimilium ratione abusionis esse traducta.

saria. Translatio quoque, in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat Quare proprietas non ad nomen, sed ad vim significandi refertur; nec auditu, sed intellectu perpendenda est. Secundo modo dicitur proprium inter plura, quae sunt ejusdem nominis, id, unde cetera ducta sunt. — Tertius est huic diversus modus, cum res, comunis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium; ut carmen funebre proprie *Naenia*, et tabernaculum ducis *Augurale* *). — — At illud jam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum, id est, quo nihil possit inveniri *significantius*: **) ut Cato dixit, C. Caesarem ad evertendam rempublicam *sobrium* accessisse ***); ut Virgilius *deductum* carmen ****); et Horatius *acrem* tibiam, Hannibalemque *dirum* *****). — — Possunt videri verba, quae plus significant, quam eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis; intellectum enim adjuvant. Ego autem libentius

---

*) Ante *Burmannum* vulgo in omnibus libb. legebatur: *Augustale*.

**) Hoc sensu de *proprietatis* virtute agitur in Aest. Lit. vern. Tom. II. p. 319.

***) Cf. Sueton. in Caesar. c. 53.

****) Eclog. VI, 5. — Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.

*****) Cf. carm. l. I. Od. XII. v. 1.

Quem virum, aut heroa, lyra vel *acri*
Tibia sumes celebrare, Clio?

Et carm. l. II. Od. XII. v. 2.

Nolis ferae bella Numantiae,
Nec dirum Hannibalem — —
Aptari citharae modis.

emphasin retulerim ad *ornatum* orationis, quia non, ut intelligatur efficit, sed ut *plus* intelligatur *).

§. 18.

De vitiis nonnullis, elegantiae virtuti contrariis.

[Vitia, *puritati* contraria]. Vitia in sermone, quominus is *latinus* sit, duo possunt esse, *Soloecismus* et *Barbarismus*. Soloecismus est, cum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur **). *Barbarismus* est, cum verbum aliquod vitiose effertur. (*Auct.* ad Her. l. IV. c. 12.) ***).

Verbum omne, quod neque intellectum adjuvat, neque ornatum, vitiosum dici potest. (*Quintil.* Inst. or. l. VIII. c. 8. §. 55.) — Interim vitium, quod fit in singulis verbis, sit *Barbarismus*. — — Doctiores multa adjicient; vel hoc primum, quod Barbarismum

*) Cf. l. VIII. c. 3. §. 83. ubi Noster haec de emphasi habet: Vicina praedictae (scil. βραχυλογίᾳ), sed amplior virtus est ἔμφασις, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Ejus duae sunt species: altera, quae plus significat, quam dicit; altera, quae etiam id, quod non dicit.

**) *Aristoteles* de soloecismo sic habet: Ἔτι τάδε ποιεῖ σολοικίζειν, τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνύῃς ἀμφοῖν, ὃ ἁρμόττει· οἷον ἢ ψόφον, ἢ χρῶμα, τὸ μὲν ἰδιὸν, οὐ κοινόν· τὸ δ' αἰσθόμενος, κοινόν. (Rhet. l. III. c. 5.)

***) Cf. *Aristoteles*, Poet. c. 22. Ξενικὸν δὲ λέγω γλῶτταν, καὶ μεταφορὰν καὶ ἐπέκτασιν, καὶ πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον. Ἀλλ' ἄν τις ἅμα ἅπαντα τὰ τοιαῦτα ποιήσῃ, ἢ αἴνιγμα ἔσται, ἢ βαρβαρισμός. ἂν μὲν οὖν ἐκ μεταφορῶν, αἴνιγμα· ἐὰν δὲ ἐκ γλωττῶν, καὶ βαρβαρισμός.

pluribus modis accipimus. Unum, in *gente;* quale sit, si quis Afrum vel Hispanum latinae orationi nomen inserat. — — Alterum genus *barbarismi* accipimus, quod fit animi natura, ut is, a quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. Tertium est illud vitium *Barbarismi*, cujus exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo, cui libebit, adjiciat literam syllabamve, vel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio, quam rectum est, loco ponat. (Ibid. l. I. c. 5.) — Κοινισμὸς appellatur quaedam mixta ex varia ratione linguarum oratio, ut si Atticis Dorica, Jonica, Aeolica etiam dicta confundas. Cui simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat. (Ibid. l. VIII. c. 3.) *).

[Vitia *perspicuitati* nec non *urbanitati* contraria.] *Quintil.* (Inst. or.) *Obscuritas* fit verbis ab usu remotis; ut, si commentarios quis pontificum**) et vetustissima foedera et exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex

---

*) *Hermogenes* quoque plura designat sermonis puritati contraria v. c. τὸ ὑβερβατόν. Ἐναντιὸν καθαρότητος καὶ τὸ ὑπερβατόν [l. c. l. I. p. 37.]; quod quidem a Quintiliano inter elocutionis virtutes habetur. Vid. Inst. or. l. VIII. c. 6. §. 62., ubi ita legitur: Hyperbaton quoque, i. e. verbi *transgressionem*, quoniam frequenter ratio comparationis et decor poscit, non immerito inter virtutes habemus. Cf. l. VIII. c. 6. §. 66. It. *Arist.* Rhet. ad Alex. c. 31. — *Longin.* (de sublim. S. 22.) τὰ ὑπερβατὰ inter sublimitatis elocutionis adjumenta numerat.

**) De commentariis pontificum inprimis comparandus *Cicero*, de orat. l. II. c. 12. §. 52.

his, quae inde contraxerit, quod non intelliguntur. Hinc etiam aliqui famam eruditionis affectant, ut quaedam soli scire videantur. Fallunt etiam verba vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria. — Plus tamen est obscuritatis in contextu et continuatione sermonis et plures modi. Quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio, nec trajectione tam tardus, ut in hyperbaton finis ejus differatur. Quibus autem pejor est mixtura verborum, qualis in illo versu:

Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras *). —

Vitanda inprimis *ambiguitas*, non haec solum, de qua supra dictum est, quae incertum intellectum facit, — sed illa quoque, quae, etiamsi non potest turbare sensum, in idem tamen verborum vitium incidit: ut, si quis dicat, *visum a se hominem librum scribentem* **). — — Est etiam in quibusdam *turba inanium verborum*, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quae dicere nolunt; ipsam deinde illam seriem cum alia simili jungentes miscentesque, ultra quam ullus spiritus durare possit, extendunt. In hoc

*) *Virgil.* Aen. l. I. v. 109. Equidem in hoc versu vitiosam verborum mixturam haud video; licet duo sane hyberbata offendam. Cum hoc Quint. loco omnino comparandus ille *Hermogenis* (de form. or. l. I. p. 53. ed. Sturm.) Ἐναντίον δὲ εὐκρινείας σύγχυσις, ἣ δὴ γίνεται, ὅταν χωρὶς τῶν τοιούτων εὐκρινείαν περιβάλλῃ τις καὶ μεστὸν ποιῇ τὸν λόγον.

**) Τρίτον, μὴ ἀμφιβόλοις (scilic. ὀνόμασι λέγειν). Arist. Rhet. l. III. c. 5. — Eodem modo *Demetrius* (de elocut.): φευγέτω δὲ ἡ σαφὴς γραφὴ καὶ τὰς ἀμφιβολίας. (CC.)

malum a quibusdam etiam laboratur: neque id novum vitium est, cum jam apud *Tit. Livium* inveniam, fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos *obscurare*, quae dicerent, juberet, Graeco verbo utens σκοτίσον *). Unde illa scilicet egregia laudatio:

Tanto melior: **) *ne ego quidem intellexi.*

Alii, brevitatem aemulati, necessaria quoque orationi subtrahunt verba, et, velut satis sit, scire ipsos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant ***). — Pessima vero sunt ἀδιανόητα, hoc est, quae, verbis aperta, occultos sensus habent. — Ingeniosa haec et fortia, et ex ancipiti diserta creduntur, pervasitque jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit ****). Nobis

---

*) Erat hoc forsitan scriptum in deperdita Livii ad filium epistola, quae a Nostro memoratur l. X. c. 1. §. 39.

**) Quamquam « melior » ubique legitur, « melius » tamen legendum videtur.

***) Cf. Horatianum illud:

— — — Brevis esse laboro,
Obscurus fio.

De art. poet. v. 25 et 26.

Vid. etiam, quod de brevitate ipse *Fabius* alio loco monet (l. IV. c. 2. §. 43.): Nos autem brevitatem in hoc ponimus, non ut minus, sed ne plus dicatur, quam oporteat.

****) Ex *Ciceronis* libris huc ferme sequentia quadrant: Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus. (De or. l. III. c. 10.) — — Latine dicendo ver-

prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio; nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo et doctis probabilis, et planus imperitis erit. Haec est loquendi observatio. Nam rerum perspicuitas quo modo praestanda sit, diximus in praeceptis narrationis *). Similis autem ratio est in omnibus. Nam si neque pauciora, quam oportet, neque plura, neque inordinata, aut instincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipsum in consilio est habendum, non semper tam esse acrem judicis intentionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, ac tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen; sed multis eum frequenter cogitationibus avocari, nisi tam clara fuerint, quae dicemus, ut in animum ejus oratio, ut sol in oculos, etiam si in eam non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possit, sed ne omnino possit non intelligere, curandum. Propter quod etiam repetimus saepe, quae non satis percepisse eos, qui cognoscunt, putamus. (Inst. or. l. VIII. c. 2.)

(Alia nonnulla elocutionis vitia, quae inprimis *Urbanitati* contraria sunt. De his sequentia adscripsisse sufficiat).

---

bis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine *ambiguo* verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. (Ibid. l. III. c. 13.) Cf. De partit. or. c. VI. §. 19.

*) L. IV. c. 2. §. 36.

Aristoteles. (Poet. c. 12.)

Οὐκ ἐλάχιστον δὲ μέρος συμβάλλονται εἰς τὸ σαφὲς τῆς λέξεως καὶ μὴ ἰδιωτικὸν αἱ ἐπεκτάσεις καὶ ἀποκοπαὶ καὶ ἐξαλλαγαὶ τῶν ὀνομάτων· διὰ μὲν γὰρ τὸ ἄλλως ἔχειν, ἢ ὡς τὸ κύριον παρὰ τὸ εἰωθὸς γιγνόμενον, τὸ μὴ ἰδιωτικὸν ποιήσει *).

Quintilianus. (Inst. or.)

(Urbanitas), qua quidem significari video sermonem praeferentem in verbis et sono et usu proprium quendam gustum *Urbis* et sumtam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem; denique, cui contraria sit *rusticitas.* (L. VI. c. 3. §. 17.) — — — Κακόζηλον, id est, *mala affectatio*, per omne dicendi genus peccat. Nam et tumida, et exilia, et praedulcia, et abundantia, et arcessita, et exultantia, sub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον vocatur, quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret et specie boni fallitur; omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cetera parum vitantur, hoc petitur. (l. VIII. c. 3. §. 56.) **).

Nam et *obscoena* vitabimus et *sordida* et *humilia.* Sunt autem humilia infra dignitatem rerum aut ordi-

---

*) Non immerito tamen *Dion. Longinus* vulgari loquendi modo, quandoquidem perspicuitatem saepe adjuvare possit, patrocinatur. Ἔστιν ἄρ' ὁ ἰδιωτισμὸς ἐνίοτε τοῦ κόσμου παραπολὺ ἐμφανιστικώτερον etc. (De sublim. Sect. XXXI.)

**) De κακοζηλία comparandus Demetr. Phal. *de elocut.* p. 186. not. (ed. Schneid.) — De urbanitatis significatione cf. *Cicero*, Brut. c. 46. §. 170 seqq.

nis. (l. VIII. c. 2.) — (In verbis a *vetustate* repetitis) opus est, ut neque crebra sint haec, neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione, nec utique ab ultimis et jam obliteratis repetita temporibus. (Ibid. l. I. c. 6.) — Nam et prima est eloquentiae virtus perspicuitas, et, quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur; ut statura breves in digitos eriguntur et plura infirmi minantur. Nam tumidos, et corruptos et tinnulos et quocunque alio cacozeliae genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitalis vitio laborare; ut corpora non robore, sed valetudine inflantur, et recto itinere lapsi plerumque devertunt. Erit ergo obscurior etiam, quo quisque deterior.

CAPUT II.

De elocutionis ornatu.

(Ornatus elocutionis ea complectitur, quae ad sermonis pulchritudinem vimque, ut ita dicam, aestheticam praecipue et proprie valent. Oritur autem ornatus inprimis ex *compositione*, ex *amplificatione*, ex *figuris*. — Sed audiamus, quae de ornatus vi atque notione praefanda habeat *Quintilianus*) *).

§. 19.

Quint. (Inst. or. l. VIII. c. 3)

Venio nunc ad *ornatum*, in quo sine dubio plus, quam in ceteris dicendi partibus, sibi indulget orator.

*) Cf. Aesthet. liter. *vern.* Tom. I. §. 98 seqq. p. 68 seqq. et T. II. §. 270 seqq. p. 321 seqq.

Nam emendate ac dilucide dicentium tenue praemium est, magisque vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris. — Cultu vero atque ornatu se quoque commendat ipse, qui dicit, et in ceteris judicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit *). — — Qui libenter audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerumque ipsa delectatione capiuntur, nonnumquam admiratione auferuntur. Nam et ferrum adfert oculis terroris aliquid, et fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. Recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit: « Nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam judico » **). Aristoteles quoque eamdem petendam maxime putat ***). Sed hic ornatus (repetam enim) virilis, et fortis et sanctus sit; nec effeminatam levitatem, nec fuco eminentem colorem amet: sanguine et viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, ut quum in hac maxime parte sint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis

---

*) Cf. circa ornatus notionem *Cicero*, de partit. orat. c. VI. §. 20. *Illustris* (inquit) oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adjuncta, et duplicata, et idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim haec pars orationis, quae rem constituat paene ante oculos; is enim maxime sensus attingitur: sed ceteri tamen, et maxime mens ipsa moveri potest. — Cf. ad hunc loc. *Cic.* de orat. l. III. c. 24. §. 91. et *Arist.* Rhet. l. III. c. 11.

**) Frustra hic locus in Cicer. ad Brut. epp. hucusque quaesitus est.

***) Cf. Ar. Rhet. l. III. c. 2. §. 3. ἡδὺ δὲ τὸ θαυμαστόν.

utuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis *) dicat, me inimicum esse culte dicentibus. Non nego hanc esse virtutem, sed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, et violas, et amoenos fontes surgentes, quam ubi plena messis, aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum tonsasque myrtos, quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim? Habeant illa divites; licet. Quid essent, si aliud nihil haberent? Nullusne ergo etiam fructiferis adhibendus est decor? Quis negat? Nam et in ordinem certaque intervalla redigam meas arbores. Quid enim illo quicunce speciosius, qui in quamcunque partem spectaveris, rectus est? Sed protinus in id quoque prodest, ut terrae succum aequaliter trahant. Surgentia in altum cacumina oleae, ferro coercebo; in orbem se formosius fundet, et protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cujus adstricta sint ilia; sed idem velocior. Pulcher adspectu sit athleta, cujus lacertos exercitatio expressit; idem certamini paratior. Numquam vera species ab utilitate dividitur. Sed hoc quidem discernere modici judicii est. Illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus pro materiae genere debet esse variatus. — — Et quoniam ora-

---

*) *Ex corruptis*, id est, iis, qui nimia ornatus adfectatione (quoad elocutionem) corrupti sunt. Cf. l. II. c. 3. §. 9. ubi haec occurrunt: Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocunque alio cacozeliae genere peccantes, certum habeo, non virium sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur et recto itinere lapsi plerumque devertunt. Erit ergo obscurior etiam, quo quisque deterior.

tionis tam ornatus, quam perspicuitas, aut in singulis verbis est, aut in pluribus positus, quid separata, quid conjuncta exigant, consideremus. Quamquam rectissime traditum, perspicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere; sciamus inornatum esse, quod sit improprium. Sed quum idem frequentissime plura significent, quod *συνωνυμία* vocatur, jam sunt aliis alia honestiora, sublimiora, nitidiora, jucundiora, vocaliora. Nam ut syllabae e literis melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis magis VOCALIA; et quo plus quaeque spiritus habet, auditu pulchrior. Et quod facit syllabarum idem verborum quoque inter se copulatio; ut aliud alii junctum melius sonet. Diversus tamen usus. Nam rebus atrocibus verba etiam auditu aspera magis conveniunt. In universum quidem optima simplicium creduntur, quae aut maxime exclamant, aut sono sunt jucundissima. Et HONESTA quidem turpibus potiora semper, nec sordidis umquam in oratione erudita locus. CLARA illa atque SUBLIMIA plerumque materiae modo cernenda sunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi. Et quae HUMILIA circa res magnas, apta circa minores videntur. Et sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum et velut macula; ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quaedam non tam ratione, quam sensu judicantur; ut illud:

Caesa jungebant foedera porca *)

fecit elegans fictio nominis; quod si fuisset porco,

---

*) *Virg.* Aen. l. VIII. v. 641.

vile erat. In quibusdam ratio manifesta est. Risimus et merito nuper poetam, qui dixerat: *)

Praetextam in cista mures rosere Camilli,

At Virgilii miramur illud:

— — — — saepe exiguus mus **).

Nam epitheton exiguus, aptum proprium, effecit, ne plus exspectaremus, et casus singularis magis decuit; et clausula ipsa unius syllabae, non usitata, addidit gratiam. Imitatus est itaque utrumque Horatius:

Nascetur ridiculus mus ***).

Nec augenda semper oratio, sed submittenda nonnumquam est. Vim rebus aliquando et ipsa verborum humilitas adfert.

Quum sint autem verba propria, ficta, translata; propriis dignitatem dat ANTIQUITAS. Namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus ****). — — Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. — — FINGERE, ut primo libro †) dixi, Graecis magis con-

---

*) Quis fuerit iste poeta, ne conjectura quidem eruere licet.

**) *Virg.* Georg. I. v. 181.

***) Hor. Ad Pison. v. 139.

****) De antiquitate verborum cf. l. I. c. 6.

†) L. I. cap. 5. §. 70—73. ubi sic legitur: *Propria* sunt verba, cum id significant, in quod primum denominata sunt; *translata*, cum alium natura intellectum, alium loco praebent. Usitatis tutius utimur; nova non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt modicam laudem adferunt orationi; repudiata etiam in jocos exeunt. Audendum tamen, namque ut Cicero ait, etiam quae primo dura visa sunt, usu molliuntur. Sed minime nobis con-

cessum est, qui sonis etiam quibusdam et adfectibus non dubitaverunt nomina aptare; non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus adpellationes dederunt. Nostri autem in jungendo aut derivando paullum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. — — — *At* audendum *tamen*. Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam quum sint eorum alia, ut dicit Cicero, nativa, id est, quae significata sunt primo sensu; alia reperta, quae ex his facta sunt: ut jam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit; at derivare, flectere, conjungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? Et si quid periculosius finxisse videmus, quibusdam remediis praemuniendum est: *Ut ita dicam; Si licet dicere; Quodammodo; Permittite mihi sic uti.* Quod idem etiam in iis, quae licentius translata erunt, proderit, quae non tuto dici possunt. In quo non falli judicium nostrum sollicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re graecum erit illud elegantissimum, quo praecipitur, προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ *). TRANSLATA probari nisi in contextu sermonis non possunt. Itaque de singulis

---

cessa est ὀνοματοποιΐα. Quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis, λίγξε βιὸς et σίζε ὀφθαλμὸς fingere audeamus? Jam ne balare quidem, aut hinnire fortiter diceremus nisi judicio vetustatis niterentur. Cf. VIII. c. 6. §. 31—33.

*) Cf. *Aristotelis* Rhet. III. 7. §. 9. ed. Buhl. ubi legitur προςεπιπλήσσειν. — Dicitur autem orator προεπιπλήττειν ἑαυτῷ vel τῇ ὑπερβολῇ, quum excessum quemvis primus ipse reprehendit, ut non judicio labi videatur, sed ipsa rei magnitudine impelli. *Gesn.* — Post *praecipitur* ab aliis inseri solet «*ita*» aut «*illa*.»

verbis satis dictum, quae per se nullam virtutem habent. Sed ne inornata sunt quidem, nisi quum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem; excepto, si obscoena nudis nominibus enuncientur. Quod viderint, qui non putant esse vitanda, quia nec sit vox ulla natura turpis *); et si qua est rei deformitas, alia quoque adpellatione quacumque ad intellectum eumdem nihilominus perveniat. Ego romani pudoris more contentus, ut jam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo.

Jam hinc igitur ad conjuncti sermonis rationem transeamus. Cujus ornatus in haec duo prima dividitur, quam concipiamus eloquutionem, quomodo efferamus. Nam primum est, ut liqueat, augere quid velimus, an minuere; concitate dicere, an moderate; laete, an severe; abundanter, an presse; aspere, an leniter; magnifice, an subtiliter; graviter, an urbane? tum quo translationis genere, quibus figuris, qualibus sententiis, quo modo, qua postremo collocatione, id, quod intendimus, efficere possimus. Ceterum dicturus, quibus ornetur oratio, prius ea, quae sunt huic contraria laudi, attingam; nam *prima virtus est vitio carere* **). Igitur ante omnia

*) Alludere videtur Noster praecipue ad Stoicorum circa hanc rem doctrinam, estque hic omnino comparanda *Ciceronis* ad *Diversos* epist. 22. libri IX., ubi v. g. haec legenda veniunt: Sed, ut dico, placet *Stoicis*, suo quamque rem nomine appellare. Sic enim disserunt, nihil esse obscoenum, nihil turpe dictu. — Si enim, quod verbo significatur, id turpe non est, verbum, quod significat, turpe esse non potest.

**) Cf. *Horat.* Epist. I. 1. v. 41. ubi haec habentur:
Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitia caruisse.

ne speremus ornatam orationem, quae probabilis non erit. Probabile autem Cicero *) id genus dicit, quod non plus minusue est, quam decet. Non quia comi expolirique non debeat; (nam et haec ornatus pars est); sed quia vitium est ubique, quod nimium est. Itaque vult esse auctoritatem et pondus in verbis; sententias vel graves vel aptas opinionibus hominum ac moribus. His enim salvis licet adsumere ea, quibus *illustrem* fieri orationem putat: delecta, translata, superlata, ad nomen adjuncta, duplicia, et idem significantia, ab ipsa actione atque ab imitatione rerum non abhorrentia. Sed quoniam vitia prius demonstrare adgressi sumus, vel hoc vitium sit, quod *κακίμφατον* vocatur: **) sive mala consuetudine in obscoenum intellectum sermo detortus est, — sive junctura deformiter sonat. — — Deformitati proximum est humilitatis vitium, *ταπείνωσιν* vocant, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur: ut, *saxea est verruca in summo montis vertice.* Cui natura contrarium, sed errore par est, parvis dare excedentia modum nomina, nisi quum ex industria risus inde captatur. Itaque nec parricidam nequam dixeris hominem, nec deditum forte meretrici nefarium: quod alterum parum, alterum nimium est. Proinde quaedam hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis oratio est ***). Quae vitia facillime fiunt manifesta contrariis virtutibus. Nam primum *acuto*, secundum

---

*) De partit. orat. c. VI. §. 19.

**) Alii legunt: *κακόφατον*, quod autem in Mss. nusquam reperitur.

***) Cf. *Dion. Long.* De sublim. Sect. III. §. 4. et inprimis Sect. XLIII. §. 3.

nitido, tertium *copioso*, deinceps *hilari*, *jucundo*, *accurato* diversum. Vitanda et μείωσις, quum sermoni quidem deest aliquid, quod minus plenus sit; quamquam id obscurae potius, quam inornatae orationis vitium est. Sed hoc quoque, quum a prudentibus fit, schema dici solet, sicut ταυτολογία, id est, ejusdem verbi aut sermonis iteratio. Haec enim, quamquam non magnopere summis auctoribus vitata, interim vitium videri potest; in quod saepe incidit etiam Cicero, securus tam parvae observationis, sicut hoc loco: *Non solum igitur illud judicium judicii simile, Judices, non fuit* *). Interim mutato nomine ἐπανάληψις dicitur, atque est et ipsum inter schemata; quorum exempla illo loco reddam, quo virtutes erunt. Pejor hac ὁμοιολογία est, quae nulla varietatis gratia levat taedium, atque est tota coloris unius, quae maxime deprehenditur carens arte oratoria; eaque et in sententiis, et figuris, et compositione longa, non animis solum, sed etiam auribus est ingratissima. Vitanda μακρολογία, id est, longior, quam oportet **), sermo, ut apud Livium: *Legati non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt* ***). Sed huic vicina periphrasis virtus habetur. Est et πλεονασμὸς vitium, quum supervacuis verbis oneratur oratio: *Ego meis oculis vidi.* Satis est enim *vidi.* — Nonnumquam tamen

---

*) *Cicer.* pro Cluent. c. 35.

**) Multi legunt *«oporteat.»*

***) Locum, quem Fab. hic Livianum designat, frustra apud Liv. quaesiveris, nisi forte geminos respexeris, scilic. l. XXIV. c. 20. et c. 40.

illud genus, cujus exemplum (modo) posui, adfirmationis gratia adhibetur:

— — *Vocemque his auribus hausi* *).

At vitium erit, quoties otiosum fuerit et supererit; non, quum adjicietur. Est etiam, quae περιεργία vocatur, supervacua (ut sic dixerim) operositas, ut a diligenti curiosus et a religione superstitio distat. — Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. — — —

ORNATUM est, quod perspicuo ac probabili plus est. Ejus primi sunt gradus in eo, quod velis, exprimendo concipiendoque; tertius, qui haec nitidiora faciat, quod proprie dixeris *cultum* **). Itaque ἐνάργειαν, cujus in praeceptis narrationis feci mentionem ***), quia plus est evidentia, vel, ut alii dicunt, repraesentatio, quam perspicuitas, et illud patet, haec se quodam modo ostendit, inter ornamenta ponamus. Magna virtus est, res, de quibus loquimur, clare atque, ut cerni videantur, enuntiare. Sed, quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas secabo, quarum ambitiose a quibusdam numerus augetur; sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus, quo tota rerum *imago* quodam modo verbis depingitur:

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque ****),

et cetera, quae nobis illam pugilum congredientium

---

*) *Virg.* Aen. IV. 359.

**) Ad hunc locum, qui corruptus videri possit, cf. *Spald.* in edit. Quintil.

***) Cf. l. IV. c. 2. §. 63.

****) *Virg.* Aen. l. V. v. 426.

faciem ita ostendunt, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in ceteris, eminet Cicero. An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut, quum illa in *Verrem* *) legit: *Stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus, in litore*, non solum ipsum os intueri videatur, et locum, et habitum, sed quaedam etiam ex iis, quae dicta non sunt, sibi ipse adstruat? Ego certe mihi cernere videor et vultum, et oculos, et deformes utriusque blanditias, et eorum, qui aderant, tacitam aversationem ac timidam verecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies, ut est apud eumdem (namque ad omnium ornandi virtutum exemplum **) vel unus sufficit), in descriptione convivii luxuriosi. *Videbar videre alios intrantes, alios vero exeuntes, quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium* ***). Quid plus videret, qui intrasset? Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim, qui dicit expugnatam esse civitatem, complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit; sed in adfectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At, si aperias haec, quae verbo uno inclusa erant, apparebunt et fusae per domos ac templa flammae, et ruentium

*) Cic. in Verr. l. V. c. 33. §. 86.

**) Alii legunt: *exempla*.

***) Est locus ex Ciceronis *Galliana*, quae quidem nonnisi pauculis fragmentis superest.

tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus; aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et male in illum usque diem servati fato senes; tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium praedas repetentiumque discursus, et acti ante suum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem suum mater, et, sicubi majus lucrum est, pugna inter victores. Licet enim haec omnia (ut dixi) complectatur *eversio*, minus est tamen totum dicere, quam omnia. Consequemur autem, ut manifesta sint, si fuerint verisimilia: et licebit etiam falso adfingere, quidquid fieri solet Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus.

— — — *Mihi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis *).

et,

— — — *Trepidae matres pressere ad pectora natos* **).

Atque hujus summae, judicio quidem meo, virtutis facillima est via. Naturam intueamur; hanc sequamur. Omnis eloquentia circa opera vitae est, ad se refert quisque, quae audit; et id facillime accipiunt animi, quod agnoscunt. Praeclare vero ad inferendam rebus lucem repertae sunt *similitudines;* quarum aliae sunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compositae, quod est hujus loci proprium:

*) *Virg.* Aen. l. III. 29.
**) *Virg.* Aen. VII. 518.

— — — *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula *). Et
— — — *avi similis, quae circum litora, circum*
Piscosos scopulos humilis volat aequora juxta **).

Quo in genere id est praecipue custodiendum, ne id, quod similitudinis gratia adscivimus, aut obscurum sit, aut ignotum. Debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Sed illud quoque, de quo in *argumentis* diximus ***), similitudinis genus ornat orationem, facitque sublimem, floridam, jucundam, mirabilem. Nam, quo quaeque longius petita est, hoc plus adfert novitatis, atque in exspectata magis est. Illa vulgaria videri possunt, et utilia tamen ad conciliandam fidem, *ut terram cultu, sic animum disciplinis meliorem uberioremque fieri:* et, *ut medici abalienata morbis membra praecidunt; ita turpes ac perniciosos, etiam si nobis sanguine cohaereant, amputandos.* Jam sublimius illud pro Archia: ****) *Saxa atque solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt,* et cetera. Quod quidem genus a quibusdam declamatoria maxime licentia corruptum est. Nam et falsis utuntur, nec illa iis, quibus tandem similia videri volunt, adplicant. — In omni autem parabola aut praecedit similitudo, et res sequitur; aut praecedit res, et similitudo sequitur. Sed interim libera et separata est;

*) Ib. II. 335.
**) Ib. IV. 244.
***) Cf. I. V. c. 11. §. 1.
****) C. 8. §. 19.

interim, quod longe optimum est, cum re, cujus est imago, connectitur, collatione invicem respondente, quod facit *redditio contraria*, quae ἀνταπόδοσις dicitur. — — Redditio autem illa rem utramque, quam comparat, velut subjicit oculis, et pariter ostendit. Cujus praeclara apud Virgilium multa reperio exempla, sed oratoriis potius utendum est. Dicit Cicero pro *Murena:* *) *Ut ajunt in graecis artificibus eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerunt; sic nos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium divertere.* Illud pro eodem **) jam paene poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius: *nam, ut tempestates saepe certo aliquo coeli signo commoventur, saepe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut casu excita videatur.* Sunt et illae breves, *Vagique per silvas ritu ferarum:* ***) et illud Ciceronis in Clodium, *Quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit* ****). Quibus similia possunt cuicumque, etiam ex quotidiano sermone, succurrere. Huic subjacet virtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circumcise atque velociter. Ac merito laudatur brevitas integra; sed ea minus praestat, quoties nihil dicit, nisi quod necesse est (βραχυλογίαν vocant,

---

*) c. 13. §. 29.

**) c. 17. §. 36.

***) Unde hoc desumptum, non facile constiterit.

****) De oratione, ad quam illud dictum referendum sit, vid. *Spald.* ad l. III. c. 7. §. 2.

quae reddetur inter schemata): est vero pulcherrima, quum plura paucis complectitur, quale illud Sallustii est, *Mithridates corpore ingenti, perinde armatus* *). Hoc male imitantes sequitur *obscuritas*. Vicina praedictae, sed amplior virtus est ἔμφασις, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Ejus duae sunt species: altera, quae plus significat, quam dicit; altera, quae etiam id, quod non dicit. — — — Est in vulgaribus quoque verbis emphasis: *Virum esse oportet;* et, *Homo est ille;* et, *Vivendum est.* Adeo similis est arti plerumque natura. Non tamen satis eloquentiae est, ea, de quibus dicat, clare atque evidenter ostendere; sed sunt multi ac varii excolendae orationis modi. Nam ipsa illa ἀφέλεια simplex et inaffectata **) habet quemdam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum, et sunt quaedam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiae. Alia *copia* locuples, alia *floribus* laeta. Virium non unum genus. Nam, quidquid in suo genere satis effectum est, valet. —

§. 20.

Ornatus e compositione ***).

Dionys. Halicar. Ἔστι δὴ τῆς συνθέσεως ἔργα, οἰκείως θεῖναι τά τ' ὀνόματα παρ' ἄλληλα, καὶ τοῖς κώλοις ἀποδοῦναι τὴν προσήκουσαν ἁρμονίαν. (De

---

*) Ex Sall. *historiis.*

**) Cf. l. XI. c. 1. §. 93.

***) Cf. Aesth. liter. *vern.* Tom. I. §. 100. et T. II. §. 270. sub *b.*

comp. verb. p. 9. ed. Reiske). — Ἔστι (τοίνυν) πᾶσα λέξις, ᾗ σημαίνομεν τὰς νοήσεις, ἡ μὲν ἔμμετρος, ἡ δ' ἄμετρος· ὧν ἑκατέρα, καλῆς μὲν ἁρμονίας τυχοῦσα, καλὸν οἷά τ' ἐστὶ ποιεῖν τὸ μέτρον καὶ τὸν λογόν· ἀνεπιστάτως δὲ, καὶ ὡς ἔτυχε ῥιπτομένη, προςαπόλλυσι καὶ τὸ ἐν τῇ διανοίᾳ χρήσιμον. Πολλοὶ γοῦν ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς, φιλόσοφοί τε καὶ ῥήτορες, λέξεις πάνυ καλὰς καὶ πρεπούσας τοῖς ὑποκειμένοις ἐκλέξαντες ἐπιμελῶς, ἁρμονίαν δ' αὐταῖς περιθέντες εἰκαίαν τινὰ καὶ ἄμουσον, οὐδὲν χρηστὸν ἀπέλαυσαν ἐκείνου τοῦ πόνου. — — Καὶ σχεδὸν ἀνάλογόν τι πεπονθέναι δόξειεν ἂν ἡ σύνθεσις πρὸς τὴν ἐκλογὴν, ὃ πάσχει τὰ ὀνόματα πρὸς τὰ νοήματα. ὥςπερ γὰρ οὐδὲν ὄφελος διανοίας ἐστὶ χρηστῆς, εἰ μή τις αὐτῇ κόσμον ἀποδώσει καλῆς ὀνομασίας, οὕτω κἀνταῦθα οὐδέν ἐστι προὔργου λέξιν εὑρεῖν καθαρὰν καὶ καλλιῤῥήμονα, εἰ μὴ καὶ κόσμον αὐτῇ τις ἁρμονίας τὸν προςήκοντα περιθήσει. (Dion. Halic. De comp. verb. c. III. p. 10. ed. Reiske). — Δοκεῖ μοι τῆς συνθετικῆς ἐπιστήμης τρία ἔργα εἶναι· ἓν μὲν, ἰδεῖν, τί μετὰ τίνος ἁρμοττόμενον πέφυκε καλὴν καὶ ἡδεῖαν λήψεσθαι συζυγίαν· ἕτερον δὲ, γνῶναι τῶν ἁρμόττεσθαι μελλόντων πρὸς ἄλληλα, πῶς ἂν ἕκαστον σχηματισθὲν κρείττονα φαίνεσθαι ποιήσειε τὴν ἁρμονίαν· τρίτον δ', εἴ τι δεῖται μετασκευῆς τῶν λαμβανομένων, ἀφαιρέσεως λέγω καὶ προςθήκης καὶ ἀλλοιώσεως, γνῶναί τέ πως καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν χρείαν οἰκείως ἐξεργάσασθαι. (Ibid. c. VI. p. 39.)

Longinus. (De sublim. Sect. XXXIX.) Τοσοῦτον ἐξ ἀνάγκης προςθείημεν ἂν εἰς τὴν παροῦσαν ὑπόθεσιν, ὡς οὐ μόνον ἐστὶ πειθοῦς καὶ ἡδονῆς ἡ ἁρμονία φυσικὸν ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ μεγαληγορίας καὶ πάθους θαυμαστόν τι ὄργανον. — — Οὐκ οἰόμεθα δ' ἄρα,

τὴν σύνθεσιν, ἁρμονίαν τινὰ οὖσαν λόγων ἀνθρώποις ἐμφύτων, καὶ τῆς ψυχῆς αὐτῆς, οὐχὶ τῆς ἀκοῆς μόνης ἐφαπτομένων, ποικίλας κινοῦσαν ἰδέας ὀνομάτων, νοήσεων, πραγμάτων, κάλλους, εὐμελείας, πάντων ἡμῖν ἐντρόφων καὶ συγγενῶν, καὶ ἅμα τῇ μίξει καὶ πολυμορφίᾳ τῶν ἑαυτῆς φθόγγων τὸ παρεστὼς τῷ λέγοντι πάθος εἰς τὰς ψυχὰς τῶν πέλας παρεισάγουσαν, καὶ εἰς μετουσίαν αὐτοῦ τοὺς ἀκούοντας ἀεὶ καθιστᾶσαν, τῇ τε τῶν λέξεων ἐποικοδομήσει τὰ μεγέθη συναρμόζουσαν, δι' αὐτῶν τούτων κηλεῖν τε ὁμοῦ, καὶ πρὸς ὄγκον τε, καὶ ἀξίωμα, καὶ ὕψος, καὶ πᾶν, ὃ ἐν αὐτῇ περιλαμβάνει, ἡμᾶς ἑκάστοτε συνδιατιθέναι, παντοίως ἡμῶν τῆς διανοίας ἐπικρατοῦσαν; Ἀλλ' ἔοικε μανίᾳ τὸ περὶ τῶν οὕτως ὁμολογουμένων διαπορεῖν· ἀποχρῶσα γὰρ ἡ πεῖρα πίστις. (p. 134 et 136. ed. Weiske).

Quintilianus. (Inst. or. l. IX. c. 4.)

De *compositione* non equidem post Mareum Tullium scribere auderem (cui nescio an ulla pars operis hujus sit magis elaborata), nisi et ejusdem aetatis homines scriptis ad ipsum etiam literis, reprehendere id collocandi genus ausi fuissent *), et post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriae

*) *Brutum* designari hisce verbis, ex M. Tullii ipsis ad Atticum literis elucescit. V. g. Epp. ad Att. l. XIV. ep. 20., ubi haec leguntur: «Quin etiam, quum, ipsius precibus paene adductus, scripsissem ad eum *de optimo genere dicendi*, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari.» Huic comparandum, quod epp. ad Att. l. XV. ep. 1. indicatur.

tradidissent. Itaque accedam in plerisque Ciceroni atque in iis ero, quae indubitata sunt, brevior; in quibusdam paulum fortasse dissentiam. — Neque ignoro, quosdam esse, qui curam omnem *compositionis* excludant atque illum horridum sermonem, ut forte fluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem esse contendant. — Verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero quod incompositum potest esse, quam vinctum et bene collocatum? — Ceterum quanto vehementior fluminum cursus est prono alveo ac nullas moras objiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto, quae connexa est et totis viribus fluit, fragosa et interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsas specie solvi putent, quando res nec ulla sine arte satis valeat et comitetur semper artem decor? — Quare mihi compositione velut amentis quibusdam nervisque intendi et concitari sententiae videntur. Ideo eruditissimo cuique persuasum est, valere eam quam plurimum non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum. — Quod si numeris ac modis inest quaedam tacita vis, in oratione est vehementissima; quantumque interest, sensus idem quibus verbis efferatur, tantum, verba eadem qua compositione vel in textu jungantur, vel in fine claudantur. Nam quaedam et sententiis parva et elocutione modica virtus haec sola commendat. Denique quod cuique visum erit vehementer, dulciter, speciose dictum, solvat et turbet: abierit omnis vis, jucunditas, decor. — Nunc, quae prius iis, qui recte componere volent, discenda sint. — In omni compositione tria sunt genera necessaria, *ordo, junctura, numerus.* Primum igitur

de *ordine*. Ejus observatio est in verbis singulis et contextis. Singula sunt, quae ἀσύνδετα diximus *). In his cavendum, ne descrescat oratio et fortiori subjungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiae, et insurgere; ut optime Cicero: *Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate* **). Aliud enim majus alio supervenit. At si coepisset a toto corpore, non bene ad latera faucesque descenderet. Est et alius naturalis ordo, ut viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum dicas potius, quam retrorsum. Quaedam ordine permutato fiunt supervacua, ut fratres gemini; nam si praecesserint gemini, fratres addere non est necesse. Illa nimia quorumdam fuit observatio, ut vocabula verbis, verba rursus adverbiis et nomina adpositis, pronominibus rursus essent priora. Nam fit contra quoque frequenter indecore. Nec non et illud nimiae est superstitionis, ut quaeque sint tempore, ea etiam facere ordine priora: non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interdum plus valent ante gesta ideoque levioribus superponenda sunt. Verbo sensum cludere, multo, si compositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat haec ratio numeris, ut fit apud summos Graecos Latinosque oratores frequentissime. Sine dubio enim omne, quod non cludet, hyperpaton est. Ipsum hoc inter tropos vel figuras, quae sunt virtutis, receptum est. Non enim ad pedes verba dimensa sunt:

*) Respicere videtur auctor ad hujus ipsius libri c. 3. §. 51., ubi sic habet: Illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur.

**) Philipp. II. c. 25. §. 63.

ideoque ex loco transferuntur in locum, ut jungantur, quo congruunt maxime: sicut in structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit, cui adplicari, et in quo possit insistere. Felicissimus tamen sermo est, cui et rectus ordo, et apta junctura et cum his numerus opportune cadens contingit. Quaedam vero transgressiones et longae sunt nimis, ut in superioribus diximus libris; et interim etiam compositione vitiosae, quae in hoc ipsum petuntur, ut exsultent atque lasciviant; quales illae Maecenatis: *Sole et Aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exsequias quidem unus inter miserrimos viderem meas* *). Quod inter haec pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Saepe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quodsi in media parte sententiae latet, transiri intentione, et obscurari circumjacentibus solet: in clausula positum adsignatur auditori et infigitur; quale est illud Ciceronis: *Ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie* **). Transfer hoc ultimum, minus valebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut per se foedae vomendi necessitati, jam nihil ultra exspectantibus, hanc quoque adjiceret deformitatem, ut cibus teneri non posset *postridie*. — Haec arbitror, ut in brevi de *ordine* fuisse dicenda: qui si vitiosus est, licet et juncta sit, et apte cadens oratio, tamen merito incomposita dicatur.

Junctura sequitur. Ea est in verbis, incisis, membris, periodis. Omnia namque ista et virtutes et vitia in complexu habent. Atque ut ordinem sequar,

---

*) Cf. *Senec.* ep. 114.

**) Philipp. II. c. 25. §. 63.

primum quae imperitis quoque ad reprehensionem notabilia videntur, id est, quae commissis inter se verbis duobus, ex ultima prioris ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomen efficiunt. Tum vocalium concursus, qui cum accidit, hiat, et intersistit, et quasi laborat oratio. Pessime longae, quae easdem inter se literas committunt, sonabunt. Praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cavo aut patulo maxime ore efferuntur *). E, plenior litera est, I angustior: ideoque obscurius in his vitium. Minus peccabit, qui longis breves subjiciet, et adhuc, qui praeponet longae brevem. Minima est in duabus brevibus offensio. Atque quum aliae subjunguntur aliis, perinde adsperiores erunt, prout oris hiatu simili aut diverso pronunciabuntur. Non tamen id, ut crimen ingens, expavescendum est, ac nescio negligentia in hoc, an sollicitudo sit pejor. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, et a potioribus avertat. Quare ut negligentiae pars est, hoc pati; ita humilitatis ubique perhorrescere: nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, praecipue Theopompum. At Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam et coeuntes literae, quae συναλοιφὴ **) dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur; et nonnumquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quaedam, ut: *Pulchra oratione acta omnino jactare.* Tum longae per se et velut opimae syllabae aliquid etiam medii temporis inter voca-

*) Cavo O et V, patulo A. Cf. prae aliis Dion. Halicar. De comp. verb. p. 74—78. ed. Reiske.

**) Συναλοιφὴ i. e. Elisio.

les, quasi intersistatur, adsumunt. Qua de re utar Ciceronis potissimum verbis: *Habet, inquit, ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis, quam de verbis laborantis* *).

Ceterum consonantes quoque, eaeque praecipue, quae sunt asperiores, in commissura verborum rixantur: et S ultima cum X proxima, quarum tristior etiam, si binae collidantur, stridor, ut *ars studiorum.* — — Atqui eadem illa litera M quoties ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur; ut: *Multum ille* et *Quantum erat*, adeo ut paene cujusdam novae literae sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.

Videndum etiam, ne syllabae verbi prioris ultimae sint primae sequentis. Id ne quis praecipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit: *Res mihi invisae visae sunt, Brute;* et in carmine:

O fortunatam natam me Consule Romam.

Etiam monosyllaba, si plura sunt, male continuabuntur, quia necesse est, compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio, et ex diverso quoque longorum; adferunt enim quamdam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia sunt ejusdem loci, si cadentia similiter, et similiter desinentia, et eodem modo declinata, multa jungantur. Nec verba quidem verbis, aut nomina nominibus similiaque his conti-

*) Orat. c. XXIII. §. 77.

nuari decet; quum virtutes etiam ipsae taedium pariant, nisi gratia varietatis adjutae. Membrorum incisorumque junctura non eo modo est observanda, quo verborum; quamquam et in his extrema et prima coeunt. Sed plurimum refert compositionis, quae quibus anteponas. Nam et *vomens frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit.* Et contra: (nam frequentius utar iisdem diversarum quoque rerum exemplis, quo sint magis familiaria:) *Saxa atque solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt.* Magis id insurgebat, si verteretur. Nam plus est, saxa, quam bestias commoveri, vicit tamen compositionis decor.

Sed transeamus ad *numeros.* Omnis structura, ac dimensio et copulatio vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut μέτροις id est, dimensione quadam *). Quod etiam si constat utrum-

*) De causa *numeri* sive *rhythmi Cicero* haec breviter explicat: Aures, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensiorem. Itaque et longiora et breviora judicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quaedam et quasi decurtata, quibus, tamquam debito fraudetur, ostenditur: productiora alia et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures; quod quum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod est, ostendit vehementius, quam id, quod videtur parum. Ut igitur poetica et versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium; sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed, eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum. (Orator. c. 53. §§. 177 et 178.) — Reliqua Ciceronis de numero

que pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. Nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant; metra etiam ordine; ideoque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis. Ῥυθμὸς aut par est, ut *Dactylus;* unam enim syllabam parem brevibus habet. Est quidem vis eadem et aliis pedibus, sed nomen illud tenet. (Longam esse duorum temporum, brevem unius, etiam pueri sciunt:) aut sescuplex, ut *paeon,* cujus vis est ex longa et tribus brevibus; quique ei contrarius, ex tribus brevibus et longa, vel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata sescuplum faciunt: aut duplex, ut *jambus;* nam est ex brevi et longa; quique est ei contrarius. Sunt hi et metrici pedes; sed hoc interest, quod rhythmo indifferens est, dactylusne ille priores habeat breves, an sequentes. Tempus enim solum metitur,

praecepta in Rhetorica proferentur. — *Platonis* quoque de numero in universum sententiam hic attingere lubet. Ἀλλὰ μὴν τὸ εὔρυθμόν τε καὶ ἄῤῥυθμον, τὸ μὲν τῇ καλῇ λέξει ἕπεται ὁμοιούμενον, τὸ δὲ, τῇ ἐναντίᾳ· καὶ τὸ εὐάρμοστον καὶ ἀνάρμοστον, ὡσαύτως· εἴπερ ῥυθμός γε καὶ ἁρμονία λόγῳ, ὥςπερ ἄρτι ἐλέγετο, ἀλλὰ μὴ λόγος τούτοις. Ἀλλὰ μὴν, ἦ δ' ὅς, ταῦτά γε λόγῳ ἀκολουθητέον. Τί δ' ὁ τρόπος τῆς λέξεως, ἦν δ' ἐγὼ, καὶ ὁ λόγος; οὐ τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται; Πῶς γὰρ οὔ; Τῇ δὲ λέξει τἆλλα; Ναί. Εὐλογία ἄρα, καὶ εὐαρμοστία, καὶ εὐσχημοσύνη, καὶ εὐρυθμία, εὐηθείᾳ ἀκολουθεῖ. Οὐχ ἣν ἄνοιαν οὖσαν ὑποκοριζόμενοι καλοῦμεν ὡς εὐήθειαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἀληθῶς εὖ τε καὶ καλῶς τὸ ἦθος κατεσκευασμένην διάνοιαν. — Παντάπασι μὲν οὖν, ἔφη. (De rep. l. III. p. 290 et 291. ed. Bip.) — Quae de rhythmo apud Aristotelem, Dion. Halic., Hermogenem et Longinum legenda sunt, utpote magis singularia, infra, suo quaeque loco, adscribentur.

ut a sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum: *) in versu pro dactylo poni non poterit anapaestus aut spondeus; nec paeon eadem ratione a brevibus incipiet ac desinet. Neque solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum alterum pro altero. Itaque si quinque continuos Dactylos, ut sunt in illo:

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

confundas, solveris versum. Sunt et alia discrimina, quod rhythmis libera spatia metris finita sunt, et his certae clausulae, illi, quo modo coeperant, currunt usque ad μεταβολὴν, id est transitum in aliud genus rhythmi; et quod metrum in verbis modo, rhythmus etiam in corporis motu est. — — — Collocatio autem verba jam probata, et electa et velut adsignata sibi debet connectere; nam vel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus. Tamen et eligere quaedam dum ex iis, quae idem significent, atque idem valeant, permiserim et adjicere, dum non otiosa, et detrahere, dum non necessaria: sed et figuris mutare et casus et numeros, quorum varietas frequenter gratia compositionis adscita, etiam sine numero solet esse jucunda. Etiam ubi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, utrum volet, sumat compositio: *Vitavisse, vel vitasse, Deprehendere, vel deprendere.* Coitus etiam syllabarum non negabo, et quidquid

*) Ἄρσιν et θέσιν Graeci dixerant, eaque ut et ipsum pedis nomen a saltantium motibus deduxerant: v. g. qui dactylos saltat duo tempora in sublatione pedis consumit, totidem in positione. *Gesner.*

sententiis aut eloquentiae non nocebit. Praecipuum tamen in hoc opus est, scire quod quoque loco verbum maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc solum componendi gratia faciet. Ratio vero pedum in oratione est multo, quam in versu, difficilior; primum, quod versus paucis continetur, oratio longiores habet saepe circuitus; deinde quod versus semper similis sibi est, et una ratione decurrit, orationis compositio, nisi varia est, et offendit similitudine et adfectatione deprehenditur. Et in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu numeris inserta est. Neque enim loqui possumus, nisi e syllabis brevibus ac longis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamen et desideratur in clausulis et adparet: primum quia sensus omnis habet suum finem, possidetque naturale intervallum, quo a sequentis initio dividatur; deinde quod aures, continuam vocem sequutae, ductaeque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis judicant, quum ille impetus stetit, et intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit neque abruptum, quo animi velut respirant ac reficiuntur. Haec est sedes orationis, hoc auditor exspectat, hic laus omnis declamat. Proximam clausulis diligentiam postulant initia; nam et in haec intentus auditor est. Sed eorum facilior ratio est. Non enim cohaerent, sed ita praecedentibus serviunt, ut novum exordium sumant cum clausula qualibet. Sit tamen composita ipsa; gratiam perdet, si ad eam rupta via venerimus *). — — Mediis quoque non ea modo cura sit, ut inter se cohaereant, sed ne pigra,

*) Cf. ad hunc locum lect. var. in ed. Spald. Vol. III. p. 570 seqq.

ne longa sint; ne quod nunc maximum vitium est, brevium contextu resultent aç sonum reddant paene puerilium crepitaculorum. Nam ut initia clausulaeque plurimum momenti habent, quoties incipit sensus aut desinit; sic in mediis quoque sunt quidam conatus, qui leviter insistunt *), ut currentium pes etiam, si non moratur, tamen vestigium facit. Itaque non modo membra atque incisa bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis, quae non dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur, illi vel occulti gradus **). Quis enim dubitet, unum sensum et unius spiritus esse: *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes?* tamen et duo prima verba et tria proxima, et deinceps duo rursus ac tria, suos quasi numeros habent, spiritum sustinentes sicut apud rhythmicos aestimantur. Hae particulae prout sunt graves, acres, lentae, celeres, remissae, exultantes; proinde id, quod ex illis conficitur, aut severum, aut luxoriosum, aut quadratum, aut solutum erit. Quaedam etiam clausulae sunt claudae atque pendentes, si relinquantur: sed sequentibus suscipi ac sustineri solent; eoque facto, vitium, quod erat in fine, continuatio emendat. *Non vult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrem* ***). Durum, si desinas; sed quum est continuatum iis, quae sequuntur, quamquam natura ipsa divisa sint: *Nova postulat, inaudita desiderat*: salvus est cursus. *Ut adeas, tantum dabis:* male cluderet; nam et tri-

*) Alii legunt: *Intersistunt.*

**) Pro verbis: *illi vel occulti gradus*, alii volunt: *spiritum sustinemus.*

***) In Verrem l. V. c. 44. §. 117.

metri versus pars ultima est. Exipit: *Ut cibum vestitumque intro ferre liceat, tantum.* Praeceps adhuc, firmatur ac sustinetur ultima: *Recusabat nemo *).* Versum in oratione fieri, multum foedissimum est totum; sicut etiam in parte, deforme: utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu. Nam quod est contra, saepe etiam decet; quia et cludit interim optime prima pars versus, dum intra paucas syllabas, praeeipue senarii atque octonarii. *In Africa fuisse,* initium senarii est, primum pro Q. Ligario caput cludit. *Esse videatur,* jam nimis frequens octonarium inchoat: talia sunt Demosthenis, *πᾶσι καὶ πάσαις· καὶ πᾶσιν ὑμῖν· ὅσην εὔνοιαν,* et totum paene principium et ultima versuum, initio conveniunt orationis: *Etsi vereor, judices **);* et, *Animadverti judices ***).* Sed initia initiis non conveniunt. T. Livius hexametri exordio coepit, *Facturusne operae pretium sim.* Nam ita edidit, estque melius, quam quo modo emendatur ****). Nec clausulae clausulis: ut Cicero: *Quo me vertam nescio †),* qui trimetri finis est. — — Optime autem de illa (scilic. *compositione*) judicant aures, quae plena sentiunt, et parum expleta desiderant et fragosis offenduntur, et levibus mulcentur, et contortis excitantur et stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia ac nimia fastidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, etiam indocti volup-

*) Ibid. c. 45. §. 118.
**) Pro Milone c. 1.
***) Pro Cluent. c. 1.
****) Cf. ad h. Liv. loc. ed. Drakenb.
†) Pro Ligar. c. 1.

tatem. Quaedam vero tradi arte non possunt. — Ad sensum igitur referenda sunt. Nequeas satis forte, quid severum, quid jucundum sit, intelligere: facias quidem natura duce melius, quam arte; sed naturae ipsi ars inerit *).

---

*) Reliqua, quae compositionem spectant, praecepta magis singularia, quorum plurima in *Ciceronis* libro *de optimo genere dicendi* (qui *orator* inscribitur) occurrunt, suo loco (in Poet. et Rhetor.) proponentur. Juvat interea adscribere adhuc nonnulla quum ex libris *auctoris ad Herennium*, tum ex illo ipso *Ciceronis*.

Apud *auctorem ad Her.* quae sequuntur, exstant: Compositio est verborum constructio, aequabiliter perpopolita. Ea conservabitur, si fugiemus crebras vocalium concursiones, — et si vitabimus ejusdem litterae nimiam assiduitatem, cui vitio versus hic erit exemplo (nam nihil prohibet in vitiis, alienis exemplis uti):

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne tulisti. —

Et si ejusdem verbi assiduitatem nimiam fugiemus; ea est hujusmodi: nam cujus rationis ratio non exstet, ei rationi, ratio non est, fidem habere. Et si verborum trajectionem vitabimus, nisi quae erit concinna; — quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Item fugere oportet longam verborum continuationem, quae et auditoris aures et oratoris spiritum laedit. (l. IV. c. 12. §. 18.) —

Ex *Ciceronis* libro, modo laudato, hoc adducenda videntur:

De verbis enim componendis et de syllabis propemodum dinumerandis et dimetiendis loquemur; quae etiamsi sunt, sicuti mihi videntur necessaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. — Nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices stirpesque non item; sed esse illa sine his non potest.

§. 21.

De ornatu ex amplificatione *).

Qnintil. (Inst. or. l. VIII. c. 3. §. 90. et c. 4. §. 1 seqq.)

Sunt autem positi (scilic. amplificandi et minuendi modi) in *rebus* et *verbis*. Sed quae sit rerum inventio

---

(Orat. c. 43. §. 147.) — Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat. Atque illud primum videamus, quale sit, quod vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat operose; nam esset quum puerilis, tum infinitus labor. — Nolo tam minuta [haec] constructio appareat; sed tamen stilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. Quamvis enim suaves gravesque sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures; quarum est judicium superbissimum. (Ibid. c. 44. §§. 149 et 150.) — Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur, quoniam id judicium esse alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compositione ipsa, aut sua sponte, et quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest; quae sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria. (Ibid c. 49. §. 164.) —

Ceterum multa et praeclara de hac re in supra laudato *Dion. Halicar.* de *verborum* compos. libro praecipiuntur, quae hic omnino comparanda commendantur.

*) *Amplificatio* (αὔξησις καὶ δείνωσις) tum ad res tum ad verba pertinere potest, ut Noster rectissime monet, quod-

ac ratio, tractavimus; nunc, quid *elocutio* attollat aut deprimat, dicendum. —

Prima est igitur *amplificandi* vel *minuendi* species in ipso *rei nomine*, ut cum eum, qui sit *caesus*, *occisum*, eum, qui sit *improbus*, *latronem*, contraque eum, qui *pulsavit*, *attigisse*, qui *vulneravit*, *laesisse* dicimus. — Hoc genus increscit ac fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur; ut Cicero in Verrem: *) *Non enim furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adduximus.* Illo enim modo, ut sit multum, hoc etiam, plus ut sit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus video constare amplificationem, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. INCREMENTUM est potentissimum, quum magna videntur, etiam quae inferiora sunt. Id autem uno gradu fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Omnibus his sufficit vel unum Ciceronis exemplum: **)

---

que Ciceroni etiam probatur. V. g. in libr. de partit. orat. c. XV. §. 53. «Ea (scil. amplific.) et verborum genere conficitur et rerum.» — Magnam vero Ciceronem ornatui ex amplificatione vim tribuere, ex his ejusdem verbis patet: «Summa autem laus eloquentiae est, amplificare rem ornando, quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abjiciendum.» (De orat. l. III. c. 26. §. 104.) De amplificatione *rerum* agendum est in Rhetorica. —

*) In Verr. act. II. l. I. c. 3.

**) In Verr. act. II. l. V. c. 66.

Facinus est, vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Nam et, si tantum *verberatus* esset, uno gradu increverat, ponendo etiam *id esse facinus*, quod erat inferius. Et, si tantum *occisus* esset, per plures gradus ascenderat. Quum vero dixerit, *prope parricidium necare*, supra quod nihil est; adjecit, *quid dicam in crucem tollere?* Ita quum id, quod maximum est, occupasset, necesse erat in eo, quod ultra est, verba deficere. Fit et aliter supra summum adjectio; ut apud Virgilium de Lauso: *)

— — *Quo pulchrior alter*
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum est enim, *Quo pulchrior alter non fuit.* Huic deinde aliquid superpositum est. Tertius quoque est modus, ad quem non per gradus itur, ut quod non est plus quam maximum, sed quo nihil majus est. *Matrem tuam cecidisti. Quid dicam amplius? matrem tuam cecidisti* **). Nam et hoc augendi genus est, tantum aliquid efficere, ut non possit augeri. Crescit oratio minus aperte, sed nescio, an hoc ipso efficacius, quum citra distinctionem in contextu et cursu semper aliquid priore majus insequitur; ut de vomitu in Antonium Cicero: ***) *In coetu vero populi romani, negotium publicum gerens, magister equitum.* Singula incrementum habent. Per se deforme, vel non in coetu, *vomere; in* coetu etiam, non *populi;* populi

*) *Virg.* Aen. l. VII. v. 649.
**) Plurimi leg. *occidisti.* — Ceterum, unde Quint. hoc sumserit, nescitur; forte ipse finxit exemplum.
***) Cic. Philipp. II. c. 25. §. 63.

etiam, non *romani*; vel, si nullum *negotium* ageret, vel, si non *publicum*; vel, si non *magister equitum*. Sed alius divideret haec, et circa singulos gradus moraretur; hic in sublime etiam currit, et ad summum non pervenit nixu, sed impetu. Verum ut haec amplificatio in superiora tendit; ita, quae fit per COMPARATIONEM, incrementum ex minoribus petit. Augendo enim, quod est infra, necesse est, extollat id, quod supra positum est; ut idem, atque in eodem loco: *Si hoc tibi inter coenam et in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi romani.* Et in Catilinam: *) *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem.* — Hoc mihi ostendendum est, augendi gratia non tota modo totis, sed etiam partes partibus comparari, sicut hoc loco: **) *An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam, orbem terrarum caede atque incendio vastare cupientem, nos Consules perferemus?* Hic et Catilina Graccho, et status reipublicae orbi terrarum, et mediocris labefactatio caedi et incendiis et vastationi, et privatus Consulibus comparatur: quae si quis dilatare velit, plenos singula locos habent. Quas dixi per RATIOCINATIONEM, fieri amplificationes videamus, an satis proprio verbo significaverim ***). Nec sum in hoc sollicitus, dum res ipsa volentibus discere adpareat. Hoc sum tamen

*) In *Cat.* I. c. 7. §. 17.
**) In *Cat.* I. c. 1. §. 3.
***) Alii legunt: « *signaverim.* »

secutus, quod haec amplificatio alibi posita est, alibi valet; ut aliud crescat, aliud augetur; inde ad id, quod extolli volumus, ratione *) ducitur. Objecturus Antonio Cicero **) metum et vomitum: *Tu* inquit, *istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.* Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime sunt otiosa. Nam respicientes ad haec, possumus aestimare, quantum illi vini in Hippiae nuptiis exhauserit, quod ferre et concoquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo si ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inusitatum nomen est ratiocinationis. — — Sic et *ex insequentibus* amplificatio ducitur. — Idem hoc praestant, quae antecesserunt. Nam cum Aeolus a Junone rogatus, ***)

— — Cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt: — —

apparet quanta sit futura tempestas.

Quid? quum res atrocissimas quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto, quo graviora videantur, quae secutura sunt; ut a Cicerone ****) factum est, quum illa diceret: *Levia sunt haec in hoc reo crimina. Metum virgarum Navarchus nobilissimae civitatis pretio redemit; humanum est. Alius, ne securi feriretur, pecuniam dedit; usitatum est.* Nonne usus est ratiocinatione, qua col-

*) Al. « *ratio deducitur.* »
**) Phil. II. c. 25.
***) Aen. I. 81 seqq.
****) In Verrem act. II. l. V. c. 44. §. 117.

ligerent audientes, quantum illud esset, quod inferebatur, cui comparata haec viderentur humana atque usitata? Sic quoque solet ex alio aliud augeri; ut quum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur virtus Scipionis. Et fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo sit major C. Caesaris gloria. Illud quoque est *ex relatione ad aliquid*, quod non ejus rei gratia dictum videtur, amplificationis genus. Non putant indignum Trojani principes, Graios Trajanosque propter Helenae speciem tot mala, tanto temporis spatio, sustinere. Quaenam igitur illa forma credenda est? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit; non aliquis juvenis, aut unus e vulgo; sed senes, et prudentissimi, et Priamo adsidentes. Verum et ipse rex, decenni bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrimarum origo fluxisset, invisam atque abominandam esse oportebat, et audit haec, et eam filiam appellans, juxta se locat, et excusat etiam, atque sibi esse malorum causam negat. *) — Potest adscribi amplificationi CONGERIES quoque verborum ac sententiarum idem significantium. Nam etiam si non per gradus ascendant, tamen velut acervo quodam adlevantur. *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* **) Simile est hoc figurae, quam συναθροισμὸν vocant; sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multiplicatio. Haec etiam crescere

*) Il. III. 156 seqq.

**) Pro Lig. c. 3. §. 9.

solet verbis omnibus altius atque altius insurgentibus: *Aderat janitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium Romanorum, lictor Sextius* *).

Eadem fere est ratio *minuendi.* Nam totidem sunt adscendentibus, quot descendentibus gradus. Ideoque uno ero exemplo contentus ejus loci, quo Cicero de oratione Rulli haec dicit: **) *Pauci tamen, qui proxime adstiterant, nescio, quid illum de lege Agraria voluisse dicere, suspicabantur.* — Quod si ad intellectum referas, *minutio* est; si ad obscuritatem, *incrementum.* Scio posse videri quibusdam speciem amplificationis *hyperbolen* quoque: nam et haec in utramque partem valet. Sed, quia excedit hoc nomen, in Tropos differenda est ***).

---

*) In Verr. act. II. l. V. c. 45. §. 118.

**) De Leg. Agr. II. c. 5. §. 13. 14. Operae pretium est, hunc locum paullo adponi verbosius et congeriem illam enumerari. « *Explicat orationem sane longam et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quod diceret. — Tamen si qui acutiores in concione steterant de lege Agraria, nescio, quid voluisse eum dicere suspicabantur.* »

***) De amplificatione verborum *Cicero* sequentia praecipit: Verba ponenda sunt, quae vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, inprimisque translata, nec in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quae dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, dupicata et ea, quae adscendunt gradatim ab humilioribus ad superiora, omninoque semper quasi naturalis et non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accomodatior. (De part. orat. c. XV. §§. 53 et 54.) Cf. de orat. l. III.

§. 22.

De ornatu ex figuris *).

Quintilianus. (Inst. orat. l. IX. c. 1, 2 et 3.)

Cum sit proximo libro de *tropis* dictum (l. VIII. c. 6.), sequitur pertinens ad *figuras*, quae *σχήματα* graece vocantur **), locus, ipsa rei natura conjunctus superiori. Nam plerique has *tropos* esse existimaverunt; quia sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo, sive ex eo, quod vertant

---

c. 38. — Quae apud *Aristot.* (Rhet. II. c. 26. et III. c. 6.) et *Longin.* (Sect. XI. et XII.) de amplif. dicuntur, leviora sunt, quam ut adscribantur.

*) Cf. Aesthet. liter. vernac. Tom. I. §. 106 seqq. et Tom. II. §. 270.

**) *Figurae* nomine, quod ego sciam, Cicero sensu, ut ita dicam, rhetorico, nusquam utitur; sed rem vel graece appellat, scil. *σχῆμα*, vel vocibus translatis designat. V. g. (Brut. c. 37.): *σχήματα* enim quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. *Ibid.* (c. 79.): Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci *σχήματα*, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. (Vid. et c. 17.) — Cf. *Aristot.* (Poet. c. 19 vel c. 20. sec. ed. Bip.) Τῶν δὲ περὶ τὴν λέξιν ἓν μέν ἐστιν εἶδος θεωρίας τὰ σχήματα τῆς λέξεως. — Item *Dion. Halicar.* De verb. comp. p. 185. ed. Reiske. Ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα οἱ σχηματισμοὶ οἱ πολλοὶ, τὸ νεαρὸν ἔχοντες. Id. Rhet. c. VIII. p. 280 seqq. ubi de figuris prolixius agitur. — *Longin.* quoque comparand. De sublim. Sect. XVI. ubi sic legitur: Αὐτόθι μέντοι καὶ ὁ περὶ σχημάτων ἐφεξῆς τέτακται τόπος· καὶ γὰρ ταῦτ᾽, ἂν ὃν δεῖ σκευάζηται τρόπον, ὡς ἔφην, οὐκ ἂν ἡ τυχοῦσα μεγέθους εἴη μερίς.

orationem, unde et *motus* dicuntur: fatendum erit, esse utrumque eorum etiam in figuris. Nec desunt, qui tropis figurarum nomen imponant; quorum est C. Artorius Proculus *). Quin adeo similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu **). Nam, quomodo quaedam in his species plane distant, manente tamen generali illa societate, quod utraque res a recta et simplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflectitur: ita quaedam perquam tenui limite dividuntur; ut cum *ironia* tam inter figuras sententiae, quam inter tropos reperiatur ***). Περίφρασιν autem, et ὑπερβατὸν, et ὀνοματοποιΐαν clari quoque auctores figuras verborum potius, quam tropos dixerint. Quo magis signanda est utriusque rei differentia. Est igitur *tropus sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia*, vel (ut plerique Grammatici finiunt) *dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est* ****). *Figura* (sicut nomine

---

*) Hic fere ab omnibus ignoratur. Vid tamen *Burmann.* ad hunc loc.

**) Nos hic praecipuos de tropis locos adnotabimus, nulla discriminis, Nostro inter illos et figuras probati, habita ratione. Cf. Aesth. liter. vern. ll. citatis. — Ceterum et *Cicero* inter utrumque distinguit. Cf. *Brut.* (c. 17.), ubi haec leguntur: Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα.

***) De ironia, ut *tropo*, agit Noster l. VIII. c. 6. §. 54., de ironia, ut *figura*, hoc ipso libro IX. c. 2. §. 44.

****) L. VIII. c. 6. Noster tropum ita definit: *Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.*

ipso patet) *est conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione.* Quare in tropis ponuntur verba alia pro aliis, ut in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ, ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει, συνεκδοχῇ, καταχρήσει, ἀλληγορίᾳ, plerumque ὑπερβολῇ. Namque et rebus fit et verbis *). — — Illud tamen

*) De his ceterisque tropis praecipua praecepta cum ex Quintil., tum ex aliis auctoribus hic adnotentur. Inprimis *Quint.* ipse comparandus, qui (l. VIII. c. 6. §. 4 seqq.) haec de iis explicatius docet: Incipiamus ab eo (scil. tropo) qui quum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, *translationem* dico, quae μεταφορὰ graece vocatur. Quae quidem quum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur; tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse, nec humilis, nec insuavis, recte modo adscita, potest. Copiam quoque sermonis auget permutando, aut mutando, quod non habet: quodque difficillimum est, praestat, ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius, aut (ut dixi) quia decentius. Ubi nihil horum praestabit, quod transferetur, improprium erit. *Necessitate* rustici dicunt *gemmam* in vitibus (quid enim dicerent aliud?) et *sitire segetes*, et *fructus laborare*. Necessitate nos, *durum hominem* aut *asperum*. Non enim proprium erat, quod daremus his adfectionibus, nomen. Jam, *incensum ira:* et *inflammatum cupiditate:* et *lapsum errore*, significandi gratia. Nihil enim horum suis verbis, quam his arcessitis, magis proprium erat. In totum autem metaphora brevior est similitudo: eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere; haec pro ipsa re dicitur. Comparatio

notandum, coire frequenter in easdem sententias et

---

est, quum dico fecisse quid hominem *ut leonem*; translatio, quum dico de homine, *leo est.* — Ut modicus autem atque opportunus ejus usus illustrat orationem: ita frequens et obscurat, et taedio complet; continuus vero in allegoriam et aenigmata exit. Sunt quaedam etiam humiles translationes, ut id, de quo modo dixi (l. VIII. c. 3. §. 48.): *Saxea est verruca*; et sordidae. Non enim, si Cicero recte *sentinam reipublicae* dixit, foeditatem hominum significans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris: *persecuisti reipublicae vomicas.* Optimeque Cicero demonstrat (De orat. l. III. c. 41. §. 163.) cavendum, ne sit deformis translatio, qualis est, (nam ipsis ejus utar exemplis): *Castratam morte Africani rempublicam*; et: *Stercus curiae Glauciam.* Ne nimio major, aut, quod saepius accidit, minor; ne dissimilis. Quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui scierit, haec vitia esse. Sed et copia quoque modum egressa vitiosa est, praecipue in eadem specie. Sunt et durae, id est, a longinqua similitudine ductae; ut.

Capitis nives. (Hor. Od. l. IV. 13. v. 12.) Et:

Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

(Furii Bibaculi ap. Hor. vers. cf. Sat. II. 5. v. 41.)

In illo vero plurimum erroris, quod ea, quae poetis, (qui et omnia ad voluptatem referunt et plurima vertere etiam ipsa metri necessitate coguntur), permissa sunt, convenire quidam etiam prosae putant. — Metaphora aut vacantem occupare locum debet, aut, si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. Quod aliquanto paene etiam magis de *synecdoche* dicam. Nam *translatio* permovendis animis plerumque et signandis rebus, ac sub oculos subjiciendis reperta est; haec variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra: liberior poetis, quam oratoribus. Nam prosa, ut *mucronem* pro gladio, et *tectum* pro domo recipiet; ita

τρόπον et figuram. Tam enim translatis verbis,

---

non *puppim* pro navi, nec *abietem* pro tabellis. — Nec procul ab hoc genere discedit μετωνυμία, quae est nominis pro nomine positio; cujus vis est, pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere; sed, ut ait Cicero (or. c. 27.), ὑπαλλαγὴν rhetores dicunt. Haec inventa ab inventore, et subjecta ab obtinentibus significat, ut:

Cererem corruptam undis. (Aen. I. 177.) et:

Receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.
(Hor. ad Pis. 63.)

Quod fit retro durius. — Illud quoque et poetis et oratoribus frequens, quo eum, qui efficit, ex eo, quod efficitur, ostendimus. Nam et carminum auctores:

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. (Hor. Od. I. 4. v. 13.) Et:
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.
(Virg. Aen. VI. 275.)

Et orator *praecipitem iram, hilarem adolescentiam, segne otium* dicet. — — Ἀντονομασία, quae aliquid pro nomine ponit, poetis quoque modo frequentissima, et per *epitheton*, quia detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine: *Tydides, Pelides*, et ex his, quae in quocumque sunt praecipua;

Divûm pater atque hominum rex. (Virg. Aen. I. 65.)

Et ex factis, quibus persona signatur:

— — *Thalamo quae fixa reliquit — Impius.*
(Aen. IV. 495.)

Oratoribus etiamsi rarus ejus rei, nonnullus tamen usus est. — Ὀνοματοποιΐα quidem, id est fictio nominis, Graecis inter maxima habita virtutes, nobis vix permittitur. — Eo magis necessaria κατάχρησις, quam recte dicimus abusionem, quae non habentibus nomen suum accommodat, quod in proximo est, sic:

Equum divina Palladis arte
Aedificant. (Aen. II. 15.)

quam propriis, figuratur oratio. Est autem non

Et apud Tragicos: *Et jam leo pariet;* at pater est. Mille sunt haec. — Discernendumque est hoc totum a *translatione* genus; quod *abusio* est, ubi nomen defuit; *translatio*, ubi aliud fuit. — — Cetera jam non significandi gratia, sed ad ornandam modo, non augendam orationem assumuntur. Ornat enim ἐπιθετὸν, quod recte dicimus adpositum; a nonnullis sequens dicitur. Eo poetae et frequentius et liberius utuntur. — Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo, quod dicitur, minus est. — — — Sunt autem, quibus non videatur hic omnino tropus, quia nihil vertat. Necesse est enim semper, ut id, quod est adpositum, si a proprio diviseris, per se significet, et faciat antonomasiam. — — At ἀλληγορία, quam *inversionem* interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium. Habet usum talis allegoriae frequenter oratio, sed raro totius; plerumque apertis permixta est. — — Id quoque inprimis est custodiendum, ut, quo ex genere coeperis translationis, hoc desinas. Multi enim, quum initium a tempestate sumserunt, incendio aut ruina finiunt; quae est inconsequentia rerum foedissima. Ceterum allegoria parvis quoque ingeniis, et quotidiano sermoni frequentissime seruit. — Est in exemplis allegoria, si non praedicta ratione ponantur. — Haec allegoria, quae est obscurior, *aenigma* dicitur; vitium meo quidem judicio, (si quidem, dicere dilucide, virtus,) quo tamen et poetae utuntur:

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat coeli spatium non amplius ulnas?

(Virg. Ecl. III. 104.)

Et oratores nonnumquam. In eo vero genere, quo contraria ostenduntur, *ironia* est, *illusionem* vocant, quae aut pronuntiatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Nam si qua earum verbis dissentit, adparet, diversam esse orationi voluntatem. — — Pluribus autem ver-

mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis

---

bis quum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, *περίφρασιν* vocant, *circuitum loquendi*, qui nonnumquam necessitatem habet, quoties dictu deformia operit; ut Sallustius: *ad requisita naturae.* Interim ornatum petit solum, qui est apud poetas frequentissimus. — Et apud oratores non rarus, semper tamen adstrictior. Quidquid enim significari brevius potest, et cum ornatu latius ostenditur, *περίφρασις* est. — Quum in vitium incidit, *περισσολογία* dicitur. Obstat enim, quidquid non adjuvat. Ὑπερβατὸν quoque, id est, verbi *transgressionem*, quam frequenter ratio comparationis et decor poscit, non immerito inter virtutes habemus. Fit enim frequentissime aspera, et dura, et dissoluta, et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur, et, ut quodque oritur, ita proximis, etiam si vinciri non potest, adligetur. Differenda igitur quaedam, et praesumenda, atque ut in structuris lapidum impolitorum, loco, quo convenit, quodque ponendum. Non enim recidere ea, nec polire possumus, quae coagmentata se magis jungant, sed utendum his, qualia sunt, eligendaeque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam opportuna ordinis mutatio. (Vid. huj. oper. §. 20.) — Verum id, quum duobus verbis fit, *ἀναστροφὴ* dicitur, *reversio* quaedam, qualia sunt vulgo: *mecum, secum;* apud oratores et historicos: *quibus de rebus.* At quum decoris gratia distrahitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen; ut: *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes.* (Cic. pr. Cluentio. c. 1.) Nam *in duas partes divisam esse,* rectum erat, sed durum et incomtum. — — *Hyperbolen* audacioris ornatus summo loco posui. Est haec *ementiens superjectio.* Virtus ejus ex diverso par augendi atque minuendi. Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus:

Geminique minantur
In caelum scopuli. (Virg. Aen. I. 162.)

ejus, et quot genera, et quae, quam multaeque sint

Aut res per similitudinem attollimus:

Credas innare revulsas
Cycladas. (Ibid. VIII. 691.)

Aut per comparationem, ut:

Fulminis ocior alis. (Ibid. V. 319.)

Aut signis quasi quibusdam:

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas.
(Ibid. VII. 808.)

Vel translatione, ut ipsum illud *volaret.* — Nec pauciora sunt genera *minuendi.*

Vix ossibus haerent. (Virg. Ecl. III. 103.)

Sed hujus quoque rei servetur mensura quaedam. Quamvis est enim omnis hyperbole ultra fidem; non tamen esse debet ultra modum: nec alia magis via in κακοζηλίαν itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, quum praesertim minime sint ignota et obscura. Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere velit. Quo magis intuendum est, quousque deceat extollere, quod nobis non creditur. Pervenit haec res frequentissime ad risum; qui, si aptus est, urbanitatis, sin aliter, stultitiae nomen adsequitur. Est autem in usu, vulgo quoque et inter ineruditos, et apud rusticos, videlicet quod natura est omnibus augendi res vel minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est. Sed ignoscitur, quia non affirmamus. Tum est hyperbole virtus, quum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest; meliusque ultra, quam citra, stat oratio. —

Cicero. (De orat. III. c. 38 seqq.)

Tria sunt in verbo simplici, quae orator adferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut *translatum.* — — Tertius modus *transferendi* verbi late patet, quem necessitas ge-

species, Quare primum intuendum est, quid accipere

---

nuit inopia coacta, et angustiis, post autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem; sic verbi *translatio*, instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites*, *luxuriem esse in herbis*, *laetas segetes*, etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato, quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo hae translationes, quasi mutationes sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illae paullo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt; quarum ego, quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas; quod verbum in alieno loco, tamquam in suo, positum, si agnoscitur, delectat; si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia:

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum occaecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit,
Grando, mista imbri largifluo, subita praecipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines:
Fervet aestu pelagus.

(*Pacuvii* versus. Cf. *Cic.* de Divin. I. c. 14)

Omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt. Aut quo significetur magis res tota, sive facti alicujus, sive consilii. — — Nonnumquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, *si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis ex-

debeamus *figuram.* — Ergo figura sit *arte aliqua*

---

poni non potuit, quam est uno significata translato. Atque hoc in genere persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis, et alienis magis delectantur verbis, quam propriis et suis. Nam si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per libram agitur, ut in uxore *divortium;* necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere: vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat; quae maxima est delectatio: vel quod singulis verbis res, ac totum simile conficitur: vel quod omnis translatio, quae quidem summa ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et *odor* urbanitatis, et *mollitudo* humanitatis, et *murmur* maris, et *dulcedo* orationis, sunt ducta a ceteris sensibus. Illa vero oculorum multo acriora, quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est enim in rerum natura, cujus nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine; unde enim simile duci potest, (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen adfert orationi. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo:

— — *Coeli ingentes fornices.*

Quamvis sphaeram in scenam (ut dicitur) attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.

— — *Vive Ulysses, dum licet:*
Oculis postremum lumen radiatum rape.

Non dixit, *cape;* non, *pete:* haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, — *dum licet.* Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. *Syrtim patrimonii scopulum* libentius dixerim; *Charybdim* bono-

novata forma dicendi †). — Inter plurimos, quod

rum, *voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Et, quoniam haec vel summa laus est in verbis transferendis, ut sensum feriat id, quod translatum sit; fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo. Nolo morte dici Africani *castratam esse rempublicam.* Nolo *stercus curiae* dici *Glauciam*; quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut majus, quam res postulet, *Tempestas comissationis*; aut minus, *Comissatio tempestatis.* Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum:

— — *Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas?*

Melius esset, *vetas, prohibes, absterres*; quoniam ille dixerat:

— *Illico istim!*
Ne contagio mea bonis umbrave obsit.

(Cf. Tusc. qu. l. III. c. 12. ubi iidem versus ex Atreo Accii adducuntur).

Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo; ut, si olim M. Catone mortuo, *pupillum* senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, *ut ita dicam, pupillum,* aliquanto mitius est. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur. Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis adferat orationi. — Sumta re simili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur *aenigmata.* Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum. —

(His comparari possunt, quae inveniuntur in *orat.* c. 27.)

Aristoteles de troporum materia haud satis accurate prae-

sciam, consensum est, duas ejus esse partes, δια-

cipit. Sequentia ferme notanda occurrunt. Μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ, ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. (Poet. c. 21. vel c. 22. sec. ed. Bip.) — Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά· διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα «ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν» εἰκών ἐστιν· ὅταν δὲ «λέων ἐπόρουσε» μεταφορά. (Rhet. III. c. 4.) — Καὶ αἱ παροιμίαι μεταφοραὶ ἀπ' εἴδους ἐπ' εἶδός εἰσιν. — Εἰσὶ δὲ καὶ εὐδοκιμοῦσαι ὑπερβολαὶ μεταφοραί. — Εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ μειρακιώδεις· σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν. διὸ ὀργιζόμενοι λέγουσι μάλιστα. (Ibid. c. 11.) — Τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν, εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατὰ ἀναλογίαν· ὥςπερ Περικλῆς ἔφη «τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως, ὥςπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλῃ.» (Ibid. c. 10.) — Δεῖ δὲ μεταφέρειν ἀπὸ οἰκείων, καὶ μὴ φανερῶν. (Ibid. c. 11.)

Longin. Ἀπόχρη δὲ τὰ δεδηλωμένα, ὡς μεγάλαι τὴν φύσιν εἰσὶν αἱ τροπαὶ, καὶ ὡς ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραὶ, καὶ ὅτι οἱ παθητικοὶ καὶ φραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. Ὅτι μέντοι καὶ ἡ χρῆσις τῶν τρόπων, ὥςπερ τἄλλα πάντα καλὰ ἐν λόγοις, προαγωγὸν ἀεὶ πρὸς τὸ ἄμετρον, δῆλον ἤδη, κἂν ἐγὼ μὴ λέγω. (De subl. S. XXXII. §. 6.)

De *metaphora* ejusque usu comparandus adhuc *Demetrius*, De elocut. LXXVIII—XCI.

†) Praeter alios comparandus *Tiberius* Rhetor, qui hanc proponit σχήματος definitionem (De schematibus ap. Demosthen.): Ἔστι τοίνυν σχῆμα τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρειν, μήδε ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπειν καὶ ἐξαλλάττειν τὴν διάνοιαν, κόσμου τινὸς τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα. Huic definitioni similis illa *Caecilii*, quae legenda in *Collect. Aldln.* rhetor. graecor. tom. I. p. 588. σχῆμά ἐστι τρόπος εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν τῆς διανοίας καὶ λέξεως. — Propter differentiam, quam Fabius et alii

νοίας, id est *mentis*, vel *sensus*, vel *sententiarum* (nam his omnibus modis dictum est); et λέξεως, id est *verborum*, vel *dictionis*, vel *elocutionis*, vel *sermonis*, vel *orationis*: nam et variatur, et nihil refert *). Cornelius tamen Celsus adjicit verbis et sententiis *figuras colorum*; nimia profecto novitatis cupiditate ductus **). — — Ut vero natura prius est, concipere animo res, quam enunciare; ita de iis figuris ante est loquendum, quae ad *mentem* pertinent, quarum quidem utilitas quum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere clarissime elucet. Nam etsi minime videtur pertinere ad probationem, qua figura quidquid dicatur; facit tamen credibilia, quae dicimus, et animos judicum, qua non observatur, irrepit. — — Jam vero adfectus nihil magis ducit. Nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent; quanto plus orationis ipsius vultus ad id, quod intendimus efficere, compositus? Plurimum tamen ad commendationem facit, sive in conciliandis agentis moribus, sive ad promerendum actioni favorem, sive ad levandum varietate fastidium, sive ad quaedam vel decentius indi-

---

statuunt inter figuras et tropos, memorare adhuc juvat hanc *Alexandri* Rhetoris definitionem: σχῆμα ἐστὶν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν, ἢ κατὰ διάνοιαν, ἄνευ τρόπου.

*) *Dion. Halic.* Πολλοὶ δὲ δή που σχηματισμοὶ καὶ τῆς λέξεως εἰσιν, ὥςπερ καὶ τῆς διανοίας· οὓς οὐχ οἷόν τε κεφαλαιωδῶς περιλαβεῖν· ἴσως δὲ καὶ ἄπειροι. (De comp. verb. p. 46. ed. Weisk.) Idem alio loco tres species designat. Ἔστι γὰρ τῶν σχημάτων εἴδη τρία. (Rhet. c. VIII.)

**) Cf. *Dion. Halic.* loco modo laudato.

canda, vel tutius. — — — Incipiamus ab iis, quibus acrior et vehementior fit probatio, quod primo loco posuimus. Simplex est sic rogare:

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? *)

Figuratam autem, quoties non suscitandi gratia adsumitur, sed instandi: *Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat?* **) et, *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* et, *Patere tua consilia non sentis?* et totus denique hic locus ***). Quanto enim magis ardet, quam si diceretur: *Diu abuteris patientia nostra;* et, *Patent tua consilia.* Interrogamus etiam, quod negari non possit; aut alii respondendi difficilis est ratio; aut invidiae gratia; aut miserationis; aut instandi, et auferendae dissimulationis. Totum hoc plenum est varietatis; nam et indignationi convenit, et admirationi. Est aliqua etiam in *respondendo* figura, quum aliud interroganti ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur: tum augendi criminis gratia; ut testis in reum rogatus, *an ab reo fustibus vapulasset? Et innocens,* inquit; tum declinandi, quod est frequentissimum: *Quaero, an occideris hominem?* respondetur: *Latronem. An fundum occupaveris?* respondetur: *meum.* — — Ceterum et interrogandi se ipsum, et respondendi sibi, solent esse non ingratae vices; ut Cicero pro Ligario: ****) *Apud quem igitur haec dico? nempe apud eum, qui, quum hoc sciret, tamen me, antequam*

*) Aen. I. 369.
**) Pro Lig. 3.
***) In Cat. I.
****) c. 3.

vidit, reipublicae reddidit. — — Cui diversum est, quum alium rogaveris non exspectare responsum, et statim subjicere: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas* *). Quod schema quidam per suggestionem vocant **). Mire vero in causis valet *praesumtio*, quae πρόληψις dicitur, quum id, quod objici potest, occupamus. Id neque in aliis partibus parum est, et praecipue prooemio convenit. Sed, quamquam generis unius, diversus tamen species habet. — — Adfert aliquam fidem veritatis et *dubitatio*, quum simulamus quaerere nos, unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit. Cujusmodi exemplis plena sunt omnia; sed unum interim sufficit: ***) *Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam nescio. Negem fuisse infamiam judicii corrupti?* etc. ****) A quo schemate non procul abest illa, quae dicitur *communicatio*, quum aut ipsos adversarios consulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla: *At illa nescit trepida, quid liceat feminae, quid conjugem deceat; forte vos in illa solitudine obvios casus miserae mulieri obtulit. Tu frater, vos paterni amici, quod consilium datis?* Aut cum judicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum: *Quid suadetis?* et, *Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit?* — — Sed nonnumquam communicantes aliquid inexpectatum subjungimus, quod et per se schema est; ut in Verrem †) Cicero: *Quid*

*) Cf. *Cic.* orat. c. 67.

**) Multi legunt: *subjectionem.*

***) Alii: *sed unum sufficiet.*

****) Cic. pro Cluent. c. 1.

†) l. V. c. 5.

deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut praedam aliquam? Deinde, quum diu suspendisset judicum animos, subjecit, quod multo esset improbius. Hoc Celsus *sustentationem* vocat. — — Sed quia non tantum per communicationem fieri solet, *παράδοξον* alii nominaverunt, id est, *inopinatum*. — — Paene idem fons est illius, quam *permissionem* vocant, quidem communicationis: cum aliqua ipsis judicibus relinquimus aestimanda; aliqua nonnunquam adversariis quoque. — —

Quae vero sunt augendis adfectibus accommodatae figurae, constant maxime *simulatione*. Namque et irasci nos, et gaudere, et timere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare, quaeque sunt similia his, fingimus. Quod *exclamationem* quidam vocant ponuntque inter figuras orationis. Haec quoties vera sunt, non sunt in ea forma, de qua nunc loquimur; sed assimulata et arte composita procul dubio schemata sunt existimanda. Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius *) *licentiam* vocat, Graeci *παῤῥησίαν*. Quid enim minus figuratum, quam vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. — Illa adhuc audaciora, et majorum (ut Cicero existimat) **) laterum fictiones personarum, quae *προςωποποιΐαι* dicuntur. Mire namque cum variant oratio nem, tum excitant. His etiam adversariorum cogi-

*) In libris de Arte Rhet. deperditis; nisi malueris libros ad Herennium, quorum in quarto (c. 36. 37.) exstat locus copiosus de licentia, cum multis huic L. Cornificio tribuere. Cf. Fabricii Bibl. Lat. de libris ad Herennium, inter scripta Ciceronis rhetorica.

**) Orat. c. 25.

tationes velut secum loquentium protrahimus: quae tamen ita demum a fide non abhorrent, si ea loquutos finxerimus, quae cogitasse eos non sit absurdum; et nostros cum aliis sermones et aliorum inter se credibiliter introducimus; et suadendo, objurgando, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. Quin deducere Deos in hoc genere dicendi et inferos excitare concessum est. Urbes etiam populique vocem accipiunt. Ac sunt quidam, qui has demum προςωποποιΐας dicant, in quibus et corpora et verba fingimus; sermones hominum assimulatos dicere διαλόγους malunt, quod Latinorum quidam dixerunt *sermocinationem*. — — — Sed formas quoque fingimus saepe ut *Famam* Virgilius *); ut *Voluptatem* ac *Virtutem* (quemadmodum a Xenophonte **) traditur) Prodicus; ut *Mortem* ac *Vitam*, quas contendentes in satura tradit Ennius ***). — — Aversus quoque a judice sermo, qui dicitur ἀποστροφὴ, mire movet; sive adversarios invadimus: *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalica gladius agebat?* ****) sive ad invocationem aliquam convertimur: *Vos enim jam ego Albani tumuli atque luci* †); sive ad invidiosam implorationem: *O leges Porciae legesque Semproniae!* ††) — — Illa vero (ut ait Cicero) *sub oculos subjectio*, tum fieri solet, quum res non gesta indi-

*) Aen. IV. 173.

**) Memor. Socr. II. 1.

***) Locum, huc referendum, inter fragmenta Enniana vix inveneris.

****) Pro Lig. c. 3.

†) Pro Mil. c. 31.

††) In Verr. V. 64.

catur, sed ut sit gesta ostenditur; nec universa, sed per partes: quem locum proximo libro subjecimus evidentiae, et Celsus hoc nomen isti figurae dedit. Ab aliis ὑποτύπωσις dicitur, proposita quaedam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri. *Ipse inflammatus scelere ac furore in forum venit; ardebant oculi; toto ex ore crudelitas emicabat* *). Nec solum, quae facta sint, aut fiant; sed etiam, quae futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat haec Cicero pro Milone, quae facturus fuerit Clodius, si praeturam invasisset **). —— Εἰρωνείαν, inveni, qui *dissimulationem* vocarent; quo nomine quia parum totius hujus figurae vires videntur ostendi, nimirum sicut in plerisque, erimus Graeca appellatione contenti. Igitur εἰρωνεία, quae est schema, ab illa, quae est tropus, genere ipso nihil admodum distat; in utroque enim contrarium ei, quod dicitur, intelligendum est: species vero, prudentius intuenti, diversas esse, facile est deprehendere. — Tropus *et* apertior *et* brevior est. In figura totius voluntatis fictio est, apparens magis, quam confessa; — etiam vita universa ironiam habere videtur; qualis est vita ***) Socratis. Nam ideo dictus εἴρων, id est, agens imperitum et admirator aliorum tamquam sapientium; ut quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, sic hoc schema faciat troporum ille contextus. Quaedam vero genera hujus figurae nullam cum tropis habent societatem; ut illa statim prima, quae dicitur a *negando*, quam nonnulli ἀντίφρασιν vocant. — — —

*) In Verrem V. c 62.
**) Pro Mil. c. 33.
***) Multi legunt: *vita*.

Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero *reticentiam*, Celsus *obticentiam*, nonnulli *interruptionem* adpellant, et ipsa ostendit aliquid adfectus, vel irae, ut:

Quos ego: — sed motos praestat componere fluctus *).

Vel solicitudinis et quasi religionis: *An hujus ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, non dicam Consule? De nostrum enim omnium: — non audeo totum dicere* **). Cui simile est in prooemio pro Ctesiphonte Demosthenis. — — *Imitatio* morum alienorum, quae ἠθοποιΐα vel, ut alii malunt, μίμησις dicitur, jam inter leniores ***) adfectus numerari potest. Est enim posita fere in eludendo; sed versatur in factis et in dictis. — — Est *emphasis* etiam inter figuras, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur; ut apud Virgilium:

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more ferae? ****)

Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus adfectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. Aliud apud Ovidium

---

*) Aen. I 135.

**) Videntur petita ex illa Tullii pro Milone oratione, quam in ipso judicio habuit; quamque lectam Fabio aliunde constat. *Gesn.*

***) Alii: *leviores.*

****) *Aen.* l. IV. 550.

genus, apud quem et *Zmyrna* *) nutrici amorem patris sic confitetur:

O, dixit, felicem conjuge matrem! **)

Huic vel confinis, vel eadem est, qua nunc utimur plurimum. Jam enim ad id genus, quod et frequentissimum est, et exspectari maxime credo, veniendum est, in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus: non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, sed aliud latens, et auditori quasi inveniendum; quod — jam fere solum schema a nostris vocatur, et unde controversiae *figuratae* dicuntur. Ejus triplex usus est. Unus, si dicere palam parum tutum est; alter si non decet; tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, et ipsa novitate ac varietate magis, quam si relatio sit recta, delectat. — — —

(Sed haec de *sententiarum* figuris ex Fabio adscripsisse sufficiat. Pauca adhuc ex eodem de *verborum* figuris proponenda restant).

(L. IX. c. 3.)

Verborum vero figurae et mutatae sunt semper et, utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, paene jam, quidquid loquimur, figura est. — Verum schemata λέξεως duorum sunt generum: alterum loquendi rationem vocant, alterum maxime collocatione exquisitum est. Quorum tametsi utrumque convenit orationi, tamen possis illud *grammaticum*, hoc *rhetoricum* magis

*) Alii: *Myrrha.*

**) *Ovid.* Metam. X. 422.

dicere. — — — Haec schemata, quae erunt per *mutationem*, *adjectionem*, *detractionem*, *ordinem*, et convertunt in se auditorem, nec languere patiuntur subinde aliqua notabili figura excitatum, et habent quamdam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse jucundus est. Quod continget, si neque supra modum multae fuerint, nec ejusdem generis, aut junctae, aut frequentes; quia satietatem, ut varietas earum, ita raritas effugit. Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus quum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum sit, quod fit per ADJECTIONEM. Plura sunt genera. Nam et verba geminantur, vel amplificandi gratia, ut: *Occidi, occidi, non Sp. Melium:* *) alterum est enim, quod indicat, alterum, quod adfirmat. Vel miserandi, ut: *Ah Corydon, Corydon* **). — — Et ab iisdem verbis plura acriter et instanter *incipiunt: Nihilne te nocturnum praesidium palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* ***) Et iisdem *desinunt: Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius?* ****) Quamquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cujus initia inter se et fines iidem sunt †). — — Etiam in contrapositis vel comparativis solet

*) Pro Mil. c. 27.
**) *Virg.* Ecl. II. 69.
***) In Cat. I. 1.
****) Pro Mil. c. 22.
†) Prima fig. *Anaphora*, secunda *Epiphora*, postrema *Symploce* appellari solet.

respondere primorum verborum alterna repetitio: — *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut eo, quo tendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne consultores tui, ille, ne urbes aut castra capiantur.* — Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et dividit:

Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi *).

Ἐπάνοδος dicitur graece, nostri *regressionem* vocant. — Interim variatur casibus haec et generibus iteratio: *Magnus est labor dicendi, magna res est.* — — Fit casibus modo hoc schema, quod πολύπτωτον vocant. Constat et aliis etiam modis. — — Congregantur quoque verba idem significantia: *Quae quum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti: egredere aliquando ex urbe: patent portae: proficisecre* **). Et in eundem alio libro: *Abiit, excessit, erupit, evasit* ***). — — Figura, quae conjunctionibus caret, *dissolutio* vocatur; apta, cum quid instantius dicimus. Nam et singula inculcantur, et quasi plura fiunt. Ideoque utimur hac figura non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam; ut Cicero dicit contra concionem Metelli: *Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi.* Et totus hic locus. — Contrarium est schema, quod con-

*) *Virg.* Aen. II. 435.
**) Catil. I. c. 5.
***) Cat. II. c. 1.

junctionibus abundat. Illud *ἀσύνδετον*, hoc *πολυσύνδετον* dicitur. Hoc est vel iisdem saepius repetitis, ut:

Tectumque, laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram *).

Sed utrumque coacervatio. — *Gradatio*, quae dicitur *κλῖμαξ*, apertiorem habet artem, et magis adfectatam; ideoque esse rarior debet. Est autem ipsa quoque adjectionis; repetit enim, quae dicta sunt, et priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Ejus exemplum ex Graeco notissimo transferatur: *Nec haec dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis* **). —

At quae per DETRACTIONEM fiunt figurae, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur: quarum una est ea, quam libro proximo in figuras ex *συνεκδοχῇ* distuli, quum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, ut Coelius in Antonium: *Stupere gaudio Graecus.* Simul enim auditur: *coepit.* — —

Tertium est genus figurarum, quae aut SIMILITUDINE aliqua VOCUM, AUT PARIBUS, AUT CONTRARIIS vertunt in se aures, et animos excitant ***). Huic nomen est *παρονομασία*, quae dicitur *annominatio.* — — Cui confinis est *ἀντανάκλασις*, ejusdem verbi contraria significatio. Quum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam *expectaret*, et ille dixisset, *se vero non expectare: Immo*, inquit, *rogo, expectes.* Non ex eodem,

*) Georg. III. 344.
**) Demosth. pro Coron. p. 288. ed. Reisk.
***) Alii: *quod — — convertit — et excitat.*

sed ex diverso vicinum accipitur: quum *supplicio* adficiendum dicas, quem *supplicatione* dignum indicaris. — Magnae veteribus curae fuit, gratiam dicendi e paribus contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utique prima aetate Isocrates fuit. Delectatus est etiam his M. Tullius, verum et modum adhibuit non ingratae (nisi copia redundet) voluptati, et rem, alioqui levem, sententiarum pondere implevit. Nam per se frigida et inanis adfectatio quum in acres incidit sensus, innata videtur esse, non arcessita. — — — *Contrapositum* autem, vel, ut quidam vocant, *contentio* (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo. Nam et, si singula singulis opponuntur, ut: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia* *). Et bina binis: *Non nostri ingenii, vestri auxilii est* **). Et sententiae sententiis: *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis* ***). — — Fit etiam assumta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολὴ dicitur: *Non, ut edam, vivo, sed, ut vivam, edo.* — Quaedam verborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur, ut *dubitatio.* — Item *correctionis* eadem ratio est. — Haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt. — — — Ego illud de iis (*figuris*) etiam, quae vere sunt, adjiciam breviter, sicut ornent orationem opportune positae, ita ineptissimas esse, quum immodice petantur ****). Sunt, qui neglecto rerum

---

*) Pro Cluent. c. 6.

**) Pro Cluent. c. 1.

***) Pro Cluent c. 2.

****) Alii: *ornant* — et *petuntur.*

pondere, et viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarint, summos se judicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere: quas sine substantia *) sectari, tam est ridiculum, quam quaerere habitum gestumque sine corpore. Sed ne hae quidem, quae recte fiunt, densandae sunt nimis. Nam et vultus mutatio oculorumque conjectus multum in actu valet; sed si quis ducere os exquisitis modis et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. — Sciendum vero inprimis, quid quisque in orando postulet *locus*, quid *persona*, quid *tempus*. Major enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est; quis ferat contrapositis, et pariter cadentibus, et consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem; et ubicumque ars ostentatur, veritas abesse videatur **).

---

*) Alii: *sine sententia*.

**) De figuris varii inter veteres suo quisque modo scripserunt. *Dionys. Halicarn.* v. g. totus est in explicandis controversiis, ut dicunt, *figuratis*, de quibus haec *Quintilianus* habet: Jam enim ad id genus, quod frequentissimum est, et expectari maxime credo, veniendum est, in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus; non utique centrarium, ut in εἰρωνείᾳ, sed aliud latens, et auditori quasi inveniendum: quod, ut supra ostendi (scil. hoc ipso lib. c. 1. §. 14.), jam fere solum *schema* a nostris vocatur, et unde *controversiae figuratae* dicuntur. (l. IX. c. 2. §. 65.)

Dionysii sententiam legas in ejus Rhetor. c. VIII et IX. Doctrinae summa his contineri videtur: Ἔστι τῶν σχημάτων εἴδη τρία· τὸ μέν ἐστι σχῆμα λέγον μὲν, ἃ βούλεται, δεόμενον δ' εὐπρεπείας, ἢ δι' ἀξίωσιν τῶν

προςώπων, πρὸς οὓς ὁ λόγος, ἢ δι' ἀσφάλειαν πρὸς τοὺς ἀκούοντας. Καὶ τούτῳ μὲν τῷ εἴδει οὐκ ἀντιλέγουσιν οἱ ῥητορικοὶ, ἀλλὰ καλοῦσιν αὐτὸ χρῶμα, — Τὸ δέ (melius forsan: ἕτερον δὲ) τι σχῆμά ἐστι πλαγίως ἕτερα μὲν λέγον, ἕτερα δ' ἐργαζόμενον ἐν λόγοις. Τρίτον σχῆμά ἐστι, τὸ οἷς λέγει τὰ ἐναντία πραχθῆναι πραγματευόμενον.

Τοῦ μὲν οὖν καλουμένου ὑπὸ τῶν πολλῶν χρώματος οὔτε ἀποκεκρυμμένη, οὔτε χαλεπὴ μέθοδος. ἐπιείκεια γὰρ προςτεθεῖσα τοῖς λόγοις, καὶ τὸ ὑποστέλλεσθαι τῇ παῤῥησίᾳ, καὶ αὐτὸ τοῦτο τὸ αἰδεῖσθαι προςποιεῖσθαι, καὶ τὸ ὁμολογεῖν μὴ βούλεσθαι τολμηρῶς, μηδ' ἀποκεκαλυμμένως λέγειν, ἡ μέθοδός ἐστι τῶν τοιούτων λόγων. μεγίστη δὲ καὶ βαθυτάτη ἐν τούτοις τοῖς λόγοις μέθοδος, τὸ ἑτέρας αἰτίας ὑποβαλέσθαι εὐσχήμονας πρὸ τῶν λυπούντων λόγων — Οἱ δὲ ἕτερα μὲν λέγοντες, ἕτερα δὲ βουλόμενοι, τίνι μεθόδῳ χρῶνται; προτείνουσι μὲν γὰρ ἕτερα κεφάλαια τοῖς ἀκροωμένοις· ἃ δὲ βούλονται πεῖσαι, τοῖς προταθεῖσι συγκατασκευάζουσι. καὶ τρόπον τινὰ διπλοῦν ἀγῶνα ἀγωνίζονται· τῷ μὲν γὰρ λόγῳ τὸ κοινὸν προτείνουσι, τέχνῃ δὲ, οὗ τὴν χρείαν ἔχουσιν. ὁ δὲ οἷς λέγει τὰ ἐναντία βουλόμενος λόγος ἀκοῦσαι, οὑτωσὶ ἄτοπόν τινα τὴν μέθοδον ἔχειν δόξει. δεῖ γὰρ εἰς ἐναντιώσεις ὑποπίπτοντα φαίνεσθαι τοῖς ἀκούουσι· ταὶ ἐν τούτῳ τῷ εἴδει τὸ κοινότατον δὴ φαίνεται, τέχνη ῥήτορος οὖσα, τὸ ἐναντία λέγειν. τίς ὁ λόγος; βραχὺς καὶ σαφής. ὥςπερ γὰρ ἐν τοῖς ἁπλοῖς τῶν ἀγώνων ὠφέλειαν ἔχει τὸ μὴ δοκεῖν ἐναντία λέγειν, οὕτως ἐνταῦθα κέρδος αἱ ἐναντιώσεις ἔχουσι· τὸ δὲ δὴ ἐναντία λέγειν, ζημίαν καὶ πάνυ. δικαιώσει γὰρ οἷς λέγει τις τὰ ἐναντία. οἷς γὰρ βούλεται, ἂν λέγων πείσῃ, τὰ ἐναντία πράξει. ἂν δὲ, ἃ βούλεται, κατεργάζηται, ἐναντία οἷς λέγει πείθειν δόξει. μέθοδος δὲ τούτων τίς; ὥςπερ ἐν τοῖς ἁπλοῖς ἀγῶσι τὰς προτάσεις τὰς οἰκείας ἀσθενεῖς εἶναι δεῖ, τὰς δὴ τοῦ ἀντιδίκου ἰσχυρὰς, καὶ τὰ μὲν παρ' αὐτοῦ εὐδιάλυτα προςβάλλεσθαι, τὰ δὲ παρὰ τοῦ ἐναντιουμένου δυσκαταγώνιστα· αὕτη μία μέθοδος. δευτέρα δὲ,

CAPUT III.

*De elocutionis varietate atque differentia, sive de generibus dicendi *).*

(Quamquam, quae de elocutionis varietate apud veteres scriptores reperiuntur, praecepta, inprimis eloquentiam *oratoriam*) spectant**); non pauca tamen occurrunt, quae de elocutione universa valeant. — Notissima plurimisque antiquorum probata diversitas dicendi est illa tripartita, qua genus *tenue*, *sublime* et *medium* constituitur. Quae de unoquaque in universum exstent variorum decreta potiora hic adscripta leges.

ὥςπερ ἐν τοῖς ἁπλοῖς ἀγῶσιν οὐ χρὴ στρεφόμενα λέγειν, οὐδ' οἷς ἂν καὶ ὁ ἀντίδικος χρήσαιτο, οὕτως ἐν τοῖς τοιούτοις τῶν ἀγώνων τοιαῦτα λέγειν δεῖ, οἷς καὶ ὁ ἀντιλέγων χρήσεται. οἱ μὲν οὖν κυριώτατοι τρόποι τῶν ἐσχηματισμένων λόγων οὗτοι. (Rhet. c. VIII.).

Dionysium rem omnino ad orationem, proprie dictam, referre, nemo non videt. Et quae sequuntur cum hoc ipso capite, tum proximo, eadem ratione proferuntur. — Circa doctrinam de figuris adhuc comparandi sunt *Demetrius* (qui in libro de elocut. pluribus locis rem ex occasione tractat); it. *Auct. ad Heren.* l. IV. c. 14 seqq. *Cicero*, Orat. c. 39. *Tiberius* Rhetor. De schematibus apud Demosthenem. —

*) Διαφέρει γάρ τι πρὸς τὸ δηλῶσαι, ὡδὶ ἢ ὡδὶ εἰπεῖν. (*Aristot.* Rhet. III. c. 1.) — Alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque divisa inter se ratio est. (*Quintil.* Inst. or. l. X. c. 2. §. 23.)

**) Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen *unius oratoris* locutio hoc proprio signata nomine est. (*Cicero*, orat. c. 19. §. 64.)

Nonnulli singulas quasdam elocutionis virtutes distinguendis ejusdem formis supposuerunt. Hoc fundamento usus v. g. *Demetrius* statuit, formas esse dicendi quatuor *), *Hermogenes* septem **); quorum quidem praecipua placita, quantum unicuique trium illorum dicendi generum suffragari videantur, in notis, suis quaeque locis, proponentur).

§. 23.

De singulorum elocutionis generum natura ac virtutibus.

Aul. Gellius. (Noctes Attic. l. VII. c. 14.)

Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci *χαρακτῆρας* vocant ***) nominaque eis fecerunt apponi *ἁδρὸν*, *ἰσχνὸν*, *μέσον*. Nos, quem primum posuimus, *uberem* vocamus, secundum *gracilem*, tertium *mediocrem*. Uberi dignitas atque amplitudo est; gracili venustas et subtilitas, medius in confinio est, utriusque modi particeps ****).

---

*) Νῦν δὲ περὶ τῶν χαρακτήρων τῆς ἑρμηνείας λέγωμεν. Εἰσὶ δὲ τέσσαρες οἱ ἁπλοῖ χαρακτῆρες, ἰσχνὸς, μεγαλοπρεπὴς, γλαφυρὸς, δεινός· καὶ λοιποὶ οἱ ἐκ τούτων μιγνύμενοι. (Dem. de eloc. XXXV et XXXVI.)

**) Φημὶ τοίνυν, ὅτι τὸν (Δημοσθενικὸν) λόγον τὰ ποιοῦντά ἐστιν, εἰ μέλλοι τις ὡς ἐν ἅπαν ἀκούσεσθαι, τάδε· Σαφήνεια, Μέγεθος, Κάλλος, Γοργότης, Ἦθος, Ἀλήθεια, Δεινότης. (Hergon. De form. orat. l. I. p. 10. ed. Sturm. — Hermogenes Demosthenicae orationis habitum atque formam in constituendis dicendi generibus regulam sequitur).

***) V. g. *Demetr.* loco modò laudato.

****) Cf. *Cicero* (orat. c. 5. §. 20.): Tria sunt omnino genera

Quintilianus. (Inst. or. l. XII. c. 10.)

Altera est divisio, quae in tres partes et ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se posse videntur *). Namque unum *subtile*,

---

dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt; peraeque autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam et *grandiloqui*, ut ita dicam fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate, et majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves; — — et contra tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati. — — Est autem quidam interjectus inter hos medios, et quasi temperatus etc.

*) Verba «*altera est divisio*» ad haec referenda sunt, quae Fabius de genere dicendi *Attico*, *Asiano* et *Rhodio* eodem libro et capite prius disseruit, quorum summa his continetur:

Et antiqua quidem illa divisio inter *Asianos* atque *Atticos* fuit, quum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. Quod quidam, quorum et *Santra* (grammaticus nobilis) est, hoc putant accidisse, quod paullatim sermone Graeco in proximas Asiae civitates influente, nondum satis periti loquendi facundiam concupierint; ideoque ea, quae proprie signari poterant, circuitu ceperint enunciare; ac deinde in eo perseverarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturae videntur, quod Attici limati quidem et emuncti nihil inane, aut redundans ferebant; Asiana gens tumidior alioqui atque jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui haec dividebant, adjecerunt *genus Rhodium*; quod velut medium esse atque ex utroque mixtum volunt. Neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes, ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris. *Aeschines* enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo studia

quod ἰσχνὸν vocant; alterum *grande* atque *robustum*, quod ἁδρὸν constituunt; tertium alii *medium* ex duobus, alii *floridum*, (namque id ἀνθηρὸν adpellant), addiderunt. Quorum tamen ea fere ratio est, ut primum *docendi*, secundum *movendi*, tertium illud utrocumque nomine *delectandi* sive aliud *interconciliandi* *) praestare videatur officium. In docendo autem *acumen*, in conciliando *lenitas*, in monendo *gravitas* videatur **).

Itaque illo subtili praecipue ratio narrandi probandique consistet; sed quod etiam detractis ceteris virtutibus suo genere plenum ***). Medius hic modus et

---

Athenarum, quae velut sata quaedam coelo terraque degenerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi non sine pondere tamen; neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. Nemo igitur dubitaverit, longe esse optimum genus Atticorum. In quo, ut est aliquid inter ipsos commune, id est, judicium acre tersumque, ita ingeniorum plurimae formae. Quapropter mihi falli multum videntur, qui solos Atticos credunt tenues et lucidos et significantes, sed quadam eloquentiae frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. — — (Cum hoc Fabii de genere dicendi Attico deque ejus amatoribus judicio omnino comparanda sunt, quae *Cicero* in Bruto (c. 82.) nec non in Orat. (c. 7 sqq.) profert, quaeque Noster mutatis tantummodo verbis hic et in sequentibus expressit. — Ciceronis ipsius de generibus dicendi praecepta infra in tractatu de arte oratoria fusius explicabuntur).

*) Interconciliandi verbum vix alias legeris. Cf. ed. Spald. Vol. IV. p. 661.

**) Cf. ad hunc loc. *Cicero* (or. c. 21.): subtile in *probando*, modicum in *delectando*, vehemens in *flectendo*.

***) De genere hoc tenui scribit *Demetr.* Τὴν δὲ λέξιν εἶναι πᾶσαν χρὴ κυρίαν καὶ συνήθη, μικρότερον γὰρ το συνε

translationibus crebrior et figuris erit jucundior, egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen., ut amnis lucidus quidam et virentibus utrimque silvis inumbratus *). At ille, qui saxa devolvat et pontem indignetur et ripas sibi faciat, multus et torrens judicem vel nitentem contra feret cogetque ire, qua rapit. — — *Homerus* brevem quidem cum jucunditate, et propriam, id enim est non

---

θέστερον πάντων· τὸ δὲ ἀσύνηθες καὶ μετενηνεγμένον, μεγαλοπρεπές. — μάλιστα δὲ σαφῆ χρὴ τὴν λέξιν εἶναι. (De el. CXCIV. et CXCV.)

De eodem *Cicero* ita habet: Removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur. *Elegantia modo et munditia remanebit.* Sermo purus erit et latinus; dilucide planeque dicetur; quid deceat, circumspicietur. (Orat. c. 23, §. 78 sqq.)

*) Huic medio generi respondet quadammodo, quod *Demetrius* et *Dionys. Hal.* τὸ γλαφυρὸν appellant, cuique prior prae ceteris *Venustatem* (*χάριν*) propriam facit. Ὁ γλαφυρὸς λόγος χαριεντισμὸς καὶ ἱλαρὸς λόγος ἐστί. (De el. CXXVIII.) — *Cicero:* Uberius est aliud aliquantoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est; submissius autem, quam illud, de quo jam dicetur, amplissimum. Hoc in genere (scil. medio) nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum; quam autem illud ornatum copiosumque submissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. — Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum spretum a subtilibus, repulsum a gravibus in ea, de qua loquor, mediocritate consedit. (Or. c. 26. §. 91. et c. 27. §. 96.)

deerrare verbis, et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, — et ex ore Nestoris dicit dulciorem melle profluere sermonem; — sed summam adgressus in Ulixe facundiam, *magnitudinem* illi junxit, cui orationem *nivibus hibernis* et copia verborum atque impetu parem tribuit *). — Hanc vim et celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat, haec est vere dicendi facultas **).

---

*) *Hom.* Il. l. I. 249. et l. III. 213 seqq. Cf. ad hunc loc. Aul. Gell. Noctes Att. l. VII. c. 14.

**) *Demetrius.* Τὴν δὲ λέξιν ἐν τῷ χαρακτῆρι τούτῳ (scilic. μεγαλοπρεπεῖ) περιττὴν εἶναι δεῖ καὶ ἐξηλλαγμένην, καὶ ἀσυνήθη μᾶλλον· οὕτω γὰρ ἕξει τὸν ὄγκον. (l. l. LXXVII.) — *Hermogenes.* Μέγεθος τοίνυν, καὶ ὄγκον λόγου, καὶ ἀξίωμα ποιοῦσιν ἰδέαι αἵδε, σεμνότης, περιβολὴ, τραχύτης, λαμπρότης, ἀκμὴ, καὶ ἔτι ἡ σφοδρότης, βραχεῖ τῷ διαλλάττουσα τῆς τραχύτητος. (De form. or. l. I. c. 4. p. 54. ed. Sturm.) — *Longinus* in tractatu suo *de sublimitate* totus est in hoc genere definiendo atque explicando. Pauca tantum exscripta propinentur. Ἐπεὶ δὲ πέντε, ὡς ἂν εἴποι τις, πηγαί τινές εἰσιν αἱ τῆς ὑψηγορίας γονιμώταται (προϋποκειμένης, ὥςπερ ἐδάφους τινὸς κοινοῦ ταῖς πέντε ταύταις ἰδέαις, τῆς ἐν τῷ λέγειν δυνάμεως, ἧς ὅλως χωρὶς οὐδὲν) πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον, τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ὡς κἀν περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα· δεύτερον δὲ, τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος. Ἀλλ' αἱ μὲν δύο αὗται τοῦ ὕψους κατὰ τὸ πλέον αὐθιγενεῖς συστάσεις, αἱ λοιπαὶ δ' ἤδη καὶ διὰ τέχνης, ἥ τε ποιὰ τῶν σχημάτων πλάσις, (δισσὰ δέ που ταῦτα, τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως), ἐπὶ δὲ τούτοις ἡ γενναία φράσις, (ἧς μέρη πάλιν ὀνομάτων τε ἐκλογὴ, καὶ ἡ τροπικὴ καὶ πεποιημένη λέξις·) πέμπτη δὲ μεγέθους αἰτία, καὶ συγκλείουσα τὰ πρὸ ἑαυτῆς ἅπαντα, ἡ ἐν ἀξιώματι καὶ διάρσει σύνθεσις. (l. l. sect. VIII.)

Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. Nam ut inter gracile validumque tertium aliquid constitutum est, ita horum intervalla sunt, atque inter haec ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est eorum. Nam et *subtili* plenius aliquid atque subtilius, et *vehementi* remissius atque vehementius invenitur; ut illud *lene* aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuiora summittitur. Ac sic prope innumerabiles species reperiuntur, quae utique aliquo momento inter se differant; sicut quatuor generaliter ventos a totidem mundi cardinibus accepimus flare, quum interim plurimi medii eorum varietate regionum ac fluminum *) proprii deprehenduntur. Eademque musicis ratio est, qui, cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant **).

— — *Cicero*: Hujus eloquentiae est, tractare animos, hujus, omni modo permovere; haec modo perfringit, modo irrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas. (Or. c. 28. §. 97.)

*) *Obrechtus* vult: *flaminum.*

**) Audiendus de generum dicendi mixtura *Demetrius* (de el. XXXVI.) Μίγνυνται δὲ (scil. οἱ ἁπλοῖ χαρακτῆρες) οὐ πᾶς παντί, ἀλλ' ὁ γλαφυρὸς μὲν καὶ τῷ ἰσχνῷ καὶ τῷ μεγαλοπρεπεῖ καὶ δεινὸς δὲ ὁμοίως ἀμφοτέροις· μόνος δὲ ὁ μεγαλοπρεπὴς τῷ ἰσχνῷ οὐ μίγνυται, ἀλλ' ὥσπερ ἀφέστατον καὶ ἀντίκεισθον ἐναντιωτάτω δέ. δι' ὃ καὶ μόνους δύο χαρακτῆρας τινὲς ἀξιοῦσιν εἶναι τούτους, τοὺς δὲ λοιποὺς δύο μεταξὺ τούτων — — Πλῆθος μὲν χαρακτήρων τοσοῦτον ἂν εἴη, ὅσον λέλεκται· ἑρμηνεία δ' ἑκάστῳ πρέπουσα.

Dionys. Halicarn. (De compos. verbor. XXI. XXII. XXIII. et XXIV. p. 145. ed. Weiske.)

Ἐγὼ τῆς συνθέσεως εἰδικὰς μὲν πολλὰς διαφορὰς σφόδρα εἶναι τίθεμαι, καὶ οὔτ' εἰς σύνοψιν ἐλθεῖν δυναμένας, οὔτ' εἰς λογισμὰ ἀκριβῆ. οἴομαί τ' ἴδιον ἡμῶν ἑκάστῳ χαρακτῆρα, ὥςπερ ὄψεως, οὕτω καὶ συνθέσεως ὀνομάτων παρακολουθεῖν, οὐ φαύλως παραδείγματι χρώμενος ζωγραφαίῳ. ὥςπερ γὰρ ἐν ἐκείνῃ τὰ αὐτὰ φάρμακα λαμβάνοντες ἅπαντες οἱ τὰ ζῶα γράφοντες, οὐδὲν εοικότα ποιοῦσιν ἀλλήλοις τὰ μίγματα, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐν ποιητικῇ τε διαλέκτῳ καὶ τῇ ἄλλῃ ἁπάσῃ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρώμενοι πάντες, οὐχ ὁμοίως αὐτὰ συντίθεμεν. τὰς μέντοι γενικὰς αὐτῆς διαφορὰς ταύτας εἶναι πείθομαι τὰς τρεῖς, αἷς ὁ βουλόμενος ὀνόματα θήσεται τὰ οἰκεῖα, ἐπειδὰν τούς τε χαρακτῆρας αὐτῶν καὶ τὰς διαφορὰς ἀκούσῃ. ἐγὼ μέντοι κυρίοις ὀνόμασιν οὐκ ἔχων αὐτὰς προςαγορεῦσαι ὡς ἀκατονομάστους, μεταφορικοῖς ὀνόμασι καλῶ, τὴν μὲν αὐστηρὰν, τὴν δὲ γλαφυρὰν, ἢ ἀνθηρὰν, τὴν δὲ τρίτην κοινήν. ἣν ὅπως ποτὲ γίνεσθαι φαίην ἂν ἔγωγε, ἀπορῶ, καὶ δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν, εἴτε κατὰ τὴν στέρησιν τῶν ἄκρων ἑκατέρας, εἴτε κατὰ μίξιν· οὐ γὰρ ῥάδιον εἰκάσαι τὸ σαφές. μή ποτ' οὖν κρείττων ᾖ λέγειν, ὅτι κατὰ τὴν ἄνεσίν τε καὶ τὴν ἐπίτασιν τῶν ἐσχάτων ὅρων, οἱ διὰ μέσου γίνονται πολλοὶ πάνυ ὄντες; οὐ γὰρ ὥςπερ ἐν μουσικῇ τὸ ἴσον ἀπέχει τῆς νεάτης καὶ ὑπάτης ἡ μέση, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐν λόγοις ὁ μέσος ἑκατέρου τῶν ἄκρων ἴσον ἀφέστηκεν. ἀλλ' ἔστι τῶν ἐν πλάτει θεωρουμένων, ὡς ἀγέλη τε καὶ σωρὸς καὶ ἄλλα πολλά. ἀλλὰ γὰρ οὐχ οὗτος ὁ καιρὸς ἁρμόττων τῇ θεωρίᾳ ταύτῃ· λεκτέον δ', ὡς ὑπεθέμην, περὶ τῶν χαρακτήρων οὐχ ἅπανθ', ὅσα εἰπεῖν

ἔχοιμι· μακρῶν γὰρ ἂν οἶμαι πάνυ δεήσειν λόγων. ἀλλ' αὐτὰ τὰ φανερώτατα.

Τῆς μὲν οὖν αὐστηρᾶς ἁρμονίας τοιόςδε καὶ ὁ χαρακτήρ. ἐρείδεσθαι βούλεται τὰ ὀνόματα ἀσφαλῶς, καὶ στάσεις λαμβάνειν ἰσχυρὰς, ὥστ' ἐκ περιφανείας ἕκαστον ὄνομα ὁρᾶσθαι, ἀπέχειν τ' ἀπ' ἀλλήλων τὰ μόρια διαστάσεις ἀξιολόγους αἰσθητοῖς χρόνοις διειργόμενα· τραχείαις τε χρῆσθαι πολλαχῇ καὶ ἀντιτύποις ταῖς συμβολαῖς, οὐδὲν αὐτῇ διαφέρει, οἷαι γίνονται τῶν λογάδην συντιθεμένων ἐν οἰκοδομίαις λίθων αἱ μήτ' εὐγώνιοι, μήτε συνεξεσμέναι βάσεις, ἀργαὶ δέ τινες καὶ αυτσοχέδιοι· μεγάλοις τε καὶ διαβεβηκόσιν εἰς πλάτος ὀνόμασιν ὡς τὰ πολλὰ μηκύνεσθαι φιλεῖ. τὸ γὰρ ἐκ βραχείας συλλαβῆς συνάγεσθαι, πολέμιον, αὐτῇ, πλὴν εἴ ποτε ἀνάγκη βιάζοιτο.

Ἐν μὲν δὴ τοῖς ὀνόμασι ταῦτα πειρᾶται διώκειν, καὶ τούτων γλίχεται· ἐν δὲ τοῖς κώλοις ταῦτά τ' οὐχ ἧττον ἐπιτηδεύει, καὶ τοὺς ῥυθμοὺς τοὺς ἀξιωματικοὺς καὶ τοὺς μεγαλοπρεπεῖς ἐκλέγεται, καὶ οὔτε πάρισα βούλεται τὰ κῶλα ἀλλήλοις εἶναι, οὔτε παρόμοια, οὔτ' ἀναγκαίᾳ δουλεύοντα ακολουθίᾳ, ἀλλ' εὐγενῆ καὶ ἁπλᾶ καὶ ἐλεύθερα. φύσει τ' ἐοικέναι μᾶλλον αὐτὰ βούλεται, ἢ τέχνῃ, καὶ κατὰ πάθος λέγεσθαι μᾶλλον, ἢ κατ' ἦθος. περιόδους δὲ συντιθέναι συναρτιζούσας τὸν νοῦν τὰ πολλὰ μὲν οὔτε βούλεται· εἰ δέ ποτε αὐτομάτως ἐπὶ τοῦτο κατενεχθείη, τὸ ἀνεπιτήδευτον ἐμφαίνειν ἐθέλει καὶ ἀφελές· οὔτε προςθήκαις τισὶν ὀνομάτων, ἵνα ὁ κύκλος ἐκπληρωθῇ; μηδὲν ὠφελούσαις τὸν νοῦν χρωμένη, οὐθ' ὅπως αἱ βάσεις αὐτῶν γένοιντο θεατρικαί τινες, ἢ γλαφυραὶ, σπουδὴν ἔχουσα· οὐδ' ἵνα τῷ πνεύματι τοῦ λέγοντος ὦσιν αὐτάρκαις συμμετρούμεναι μὰ Δία. οὐδ' ἄλλην τινὰ πραγματείαν τοιαύτην ἐπιτηδεύει, οὐδ' ἐπὶ τῆς τοιαύ-

τῆς ἁρμονίας, κατὰ ταῦτα δὲ πτώσεις, ποικίλη περὶ τοὺς σχηματισμοὺς, ὀλιγοσύνδεσμος, ἄναρθρος, ἐν πολλοῖς ὑπεροπτικὴ τῆς ἀκολουθίας, ἥκιστα ἀνθηρὰ, μεγαλόφρων, αὐθέκαστος, ἀκόμψευτος, τὸν ἀρχαϊσμὸν καὶ τὸ πῖνον ἔχουσα κάλλος.

Ταύτης δὲ τῆς ἁρμονίας πολλοὶ μὲν ἐγένοντο ζηλωταὶ κατά τε ποίησιν καὶ ἱστορίαν καὶ λόγους πολιτικοὺς, διαφέροντες δὲ τῶν ἄλλων, ἐν μὲν ἐπικῇ ποιήσει ὅ τε Κολοφώνιος Ἀντίμαχος καὶ Ἐμπεδοκλῆς ὁ φυσικός· ἐν δὲ μελοποιΐα Πίνδαρος· ἐν δὲ τραγῳδίᾳ Αἰσχύλος· ἐν δ' ἱστορίᾳ Θουκυδίδης· ἐν δὲ πολιτικοῖς λόγοις Ἀντιφῶν. — — —

Ἡ δὲ γλαφυρὰ καὶ ἀνθηρὰ σύνθεσις, ἣν δευτέραν ἐθέμην τῇ τάξει, χαρακτῆρα τοιόνδε ἔχει· οὐ ζητεῖ καθ' ἕκαστον ὄνομα ἐκ περιφανείας ὁρᾶσθαι, οὐδ' ἐν ἕδρᾳ πάντα βεβηκέναι πλατείᾳ τε καὶ ἀσφαλεῖ, οὐδὲ μακροὺς τοὺς μεταξὺ αὐτῶν εἶναι χρόνους, οὐδ' ὅλως τὸ βραδὺ καὶ σταθηρὸν τοῦτο φίλον αὐτῇ, ἀλλὰ καὶ κινεῖσθαι βούλεται τὴν ὀνομασίαν, καὶ φέρεσθαι καὶ θάτερα κατὰ τῶν ἑτέρων ὀνομάτων, καὶ ὀχεῖσθαι, τὴν ἀλληλουχίαν λαμβάνοντα βάσιν, ὥςπερ τὰ ῥέοντα νάματα καὶ μηδέποτε ἀτρεμοῦντα· συνειλῆφθαί τ' ἀλλήλοις ἀξιοῖ καὶ συνυφάνθαι τὰ μόρια τῆς λέξεως ὄψιν ἀποτελοῦντα εἰς δύναμιν. τοῦτο δὲ ποιοῦσιν αἱ τῶν ἁρμονιῶν ἀκρίβειαι, χρόνον αἰσθητὸν οὐδένα τὸν μεταξὺ τῶν ὀνομάτων λαμβάνουσαι· ἔοικέ τε κατὰ τοῦτο τὸ μέρος εὐητρίοις ὑφαῖς, ἢ γραφαῖς συνεφθαρμένα τὰ φωτεινὰ τοῖς σκιεροῖς ἐχούσαις. εὔφωνά τε βούλεται εἶναι πάντα ὀνόματα καὶ λεῖα, καὶ μαλακὰ, καὶ παρθενωπά. τραχείαις δὲ συλλαβαῖς καὶ ἀντιτύποις ἀπέχθεταί που. τὸ δὲ θρασὺ πᾶν καὶ παρακεκινδυνευμένον καὶ δι' εὐλαβείας ἔχει. —

Οὐ μόνον δὲ τὰ ὀνόματα τοῖς ὀνόμασιν ἐπιτηδείως συνηρμόσθαι βούλεται καὶ συνεξέσθαι, ἀλλὰ καὶ τὰ κῶλα τοῖς κώλοις συνυφάνθαι, καὶ πάντα εἰς περίοδον τελευτᾶν, κῶλον τε μῆκος, ὃ μὴ βραχύτερον ἔσται, μηδὲ μεῖζον, τοῦ μετρίου, καὶ περίοδον χρόνον, οὗ πνεῦμα τέλειον ἀνδρὸς κρατήσει· ἀπερίοδον δὲ λέξιν, ἢ περίοδον ἀκώλιστον, ἢ κῶλον ἀσύμμετρον, οὐκ ἂν ὑπομένειν ἐργάσασθαι. χρῆται δὲ καὶ ῥυθμῶν οὐ τοῖς μηκίστοις, ἀλλὰ ταῖς μέσοις τε καὶ βραχυτέροις· καὶ τῶν περιόδων τὰς τελευτὰς εὐρύθμους εἶναι βούλεται καὶ βεβηκυίας, ὡς ἀπὸ στάθμης. τἀναντία ποιοῦσα ἐν ταῖς τούτων ἁρμογαῖς, ἢ ταῖς τῶν ὀνομάτων. ἐκεῖνα μὲν γὰρ συναλείφει, ταύτας δὲ διΐστησι, καὶ ὥςπερ ἐκ περιόπτου βούλεται φανερὰς εἶναι. σχήμασί τ' οὐ τοῖς ἀρχαιοπρεπεστάτοις, οὐδ' ὅσοις ἢ σεμνότης τις, ἢ βάρος, ἢ πῖνος πρόσεστιν, ἀλλὰ τοῖς τρυφεροῖς καὶ μαλακοῖς ὡς τὰ πολλὰ χρῆσθαι φιλεῖ. ἐν οἷς πολὺ τὸ ἀπατηλόν ἐστι καὶ θεατρικόν. ἵνα δὲ κοινότερον εἴπω, τοὐναντίον ἔχει σχῆμα τῇ προτέρᾳ κατὰ μέγιστα. ὑπὲρ ὧν οὐδὲν δέομαι πάλιν λέγειν.

Ἀκόλουθον δ' ἂν εἴη καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ πρωτεύσαντας καταριθμήσασθαι. ἐποποιῶν μὲν οὖν ἔγωγε μάλιστα νομίζω τουτονὶ τὸν χαρακτῆρα ἐπεξεργάσασθαι Ἡσίοδον· μελοποιῶν δὲ Σαπφὼ, καὶ μετὰ ταύτην Ἀνακρέοντά τε καὶ Σιμωνίδην· τραγῳδοποιῶν δὲ μόνον Εὐριπίδην· συγγραφέων δ' ἀκριβῶς μὲν οὐδένα, μᾶλλον δὲ τῶν πολλῶν Ἔφορόν τε καὶ Θεοπόμπον· ῥητόρων τ' Ἰσοκράτην. —

Ἡ δὲ τρίτη καὶ μέση τῶν εἰρημένων δυοῖν ἁρμονιῶν, ἣν κοινὴν καλῶ, σπάνει τε κυρίου καὶ κρείττονος ὀνόματος, σχῆμα μὲν ἴδιον οὐδὲν ἔχει, κεκέρασται δὲ πῶς ἐξ ἐκείνων μετρίως, καὶ ἔστιν ἐκλογή τις τῶν ἐν ἑκατέρᾳ κρατίστων. αὕτη δοκεῖ μοι τὰ πρωτεῖα

ἐπιτηδεία εἶναι φέρεσθαι, ἐπειδὴ μεσότης μέν ἐστι· μεσότης δ' ἡ ἀρετὴ καὶ βίων, καὶ ἔργων, καὶ τεχνῶν, ὡς Ἀριστοτέλει δοκεῖ *), καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι κατ' ἐκείνην τὴν αἵρεσιν φιλοσοφοῦσιν. ὁρᾶται δὲ, ὥςπερ ἔφην καὶ πρότερον, οὐ κατὰ ἀπαρτισμὸν, ἀλλ' ἐν πλάτει, καὶ τὰς ἰδίας πολλὰς ἔχει διαφοράς. —

§. 24.

Vitia quaedam singulis dicendi generibus opposita.

Demetrius. (L. c.)

Ὥςπερ δὲ παράκειται φαυλά τινα ἀστεῖος τισίν· οἷον θάῤῥει μὲν τὸ θράσος· ἡ δ' αἰσχύνη τῇ αἰδοῖ· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῆς ἑρμηνείας τοῖς χαρακτῆρσι παράκεινται διημαρτημένοι τινές. πρῶτα δὲ περὶ τοῦ γειτνιῶντος τῷ μεγαλοπρεπεῖ λέξωμεν. ὄνομα μὲν οὖν αὐτῷ ψυχρόν. (CXIV.) — — Γίνεται μέν τοι καὶ τὸ ψυχρὸν ἐν τρισὶν, ὥςπερ καὶ τὸ μεγαλοπρεπές. — ἐκ γὰρ τοῦ ὑπερβεβλημένου τῆς διανοίας, καὶ ἀδυνάτου, ἡ ψυχρότης. (CXV.) — Ἐν δὲ λέξει ὁ Ἀριστοτέλης φησὶ γίνεσθαι τετραχῶς. (CXVI.) **) — —

*) *Arist.* Ethic. ad Nicom. l. II. c. 6.

**) Audias *Aristotelem* ipsum (Rhet. l. III. c. 3.) Τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν τέτταρσι γίνεται κατὰ τὴν λέξιν. ἔν τε τοῖς διπλοῖς ὀνόμασιν· (οἷον Λυκόφρων τὸν πολυπρόσωπον οὐρανὸν τῆς μεγαλοκορύφου γῆς). — Μία μὲν οὖν αὕτη αἰτία· μία δὲ, το χρῆσθαι γλώτταις. (*Not.* Χρῆσθαι γλώτταις interpretandum est: *uti verbis secretioribus, nec admodum puris* vel propter desuetudinem, in quam abierunt, vel propter peregrinitatem cf. *Arist.* poet. c. 22. [c. 23. ed. Bip.] ubi legitur: ξενικὸν δὲ λέγω, γλῶτταν etc. cui compar. cc. 21. 24 et 25. Item *Plutarch* de audit. poet. c. 5. et *Quintil.* inst. or. l. I. c. 1. §. 35.) —

Καθάπερ δὲ τῷ μεγαλοπρεπεῖ παρέκειτο ὁ ψυχρὸς χαρακτὴρ, οὕτω τῷ γλαφυρῷ παράκειταί τις διημαρ-

---

Τρίτον δ' ἐν τοῖς ἐπιθέτοις, τὸ ἢ μακροῖς, ἢ ἀκαίροις, ἢ πυκνοῖς χρῆσθαι. — Καὶ ἔτι τέταρτον, τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς γίγνεται· εἰσὶ γὰρ καὶ μεταφοραὶ ἀπρεπεῖς· αἱ μὲν διὰ τὸ γελοῖον· αἱ δὲ διὰ τὸ σεμνὸν ἄγαν· ἀσαφεῖς δὲ, ἂν πόῤῥωθεν.

Prae ceteris, qui vitiosam elocutionis sublimitatem notarint, memorandus *Longinus* (l. c. sect. III. et V.) Ὅλως δ' ἔοικεν εἶναι τὸ οἰδεῖν ἐν τοῖς μάλιστα δυςφυλακτότατον. Φύσει γὰρ ἅπαντες οἱ μεγέθους ἐφιέμενοι, φεύγοντες ἀσθενείας καὶ ξηρότητος κατάγνωσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπὶ τοῦθ' ὑποφέρονται, πειθόμενοι τῷ, «Μεγάλων ἀπολισθαίνειν ὅμως εὐγενὲς ἁμάρτημα.» Κακοὶ δὲ ὄγκοι, καὶ ἐπὶ σωμάτων καὶ λόγων, οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις, καὶ μήποτε περιϊστάντες ἡμᾶς εἰς τοὐναντίον· οὐδὲν γὰρ, φασὶ, ξηρότερον ὑδρωπικοῦ. Ἀλλὰ τὸ μὲν οἰδοῦν ὑπεραίρειν βούλεται τὰ ὕψη, τὸ δὲ μειρακιῶδες ἄντικρυς ὑπεναντίον τοῖς μεγέθεσι· ταπεινὸν γὰρ ἐξ ὅλου καὶ μικρόψυχον, καὶ τῷ ὄντι κακὸν ἀγεννέστατον. Τί ποτ' οὖν τὸ μειρακιῶδές ἐστιν; Ἢ δῆλον, ὡς σχολαστικὴ νόησις, ὑπὸ περιεργίας λήγουσα εἰς ψυχρότητα. Ὀλισθαίνουσι δ' εἰς τοῦτο τὸ γένος ὀρεγόμενοι μὲν τοῦ περιττοῦ, καὶ πεποιημένου, καὶ μάλιστα τοῦ ἡδέος, ἐποκέλλοντες δὲ εἰς ῥωπικὸν καὶ κακόζηλον. Τούτῳ παράκειται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον ἐκάλει. Ἔστι δὲ πάθος ἄκαιρον καὶ κενὸν, ἔνθα μὴ δεῖ πάθους· ἢ ἄμετρον, ἔνθα μετρίου δεῖ. Πολλὰ γὰρ, ὥςπερ ἐκ μέθης, τινὲς εἰς τὰ μηκέτι τοῦ πράγματος, ἴδια ἑαυτῶν καὶ σχολικὰ παραφέρονται πάθη· εἶτα πρὸς οὐδὲν πεπονθότας ἀκροατὰς ἀσχημονοῦσιν, εἰκότως, ἐξεστηκότες πρὸς οὐκ ἐξεστηκότας. (Sect. III.) — Ἅπαντα μέντοι τὰ οὕτως ἄσεμνα διὰ μίαν ἐμφύεται τοῖς λόγοις αἰτίαν, διὰ τὸ περὶ τὰς νοήσεις καινόσπουδον, περὶ ὃ δὴ μάλιστα κορυβαντιῶσιν οἱ νῦν· ἀφ' ὧν γὰρ ἡμῖν τἀγαθὰ,

τημένος. ὀνομάζει δὲ αὐτὸν τῷ κοινῷ ὀνόματι κακόζηλον *). γίνεται δ' ἂν καὶ οὗτος ἐν τρισὶν, ὥςπερ καὶ οἱ λοιποὶ πάντες. (CXC.) [Scilic. ἐν διανοίᾳ, ἐν ὀνόμασι, καὶ ἐν συνθέσει]. — — — Παράκειται δὲ καὶ τῷ ἰσχνῷ διημαρτημένος χαρακτὴρ, ὁ ξηρὸς καλούμενος. γίνεται δὲ καὶ οὗτος ἐν τρισίν. ἐν διανοίᾳ μὲν, ὥςπερ τις ἐπὶ Ξέρξου ἔφη, ὅτι κατέβαινεν ὁ Ξέρξης μετὰ πάντων τῶν ἑαυτοῦ· μάλα γὰρ ἐσμίκρυνε τὸ πρᾶγμα. (CCXLV.) — Περὶ δὲ τὴν λέξιν γίνεται τὸ ξηρὸν, ὅταν πρᾶγμα μέγα σμικροῖς ὀνόμασι ἐπαγγέλλῃ. (CCXLVI.) — Ἐν δὲ συνθέσει γίνεται τὸ ξηρὸν, ἤτοι ὅταν πυκνὰ ᾖ τὰ κόμματα· ἢ ὅταν ἐν μεγάλῳ πράγματι ἀποκεκομμένον ᾖ κῶλον καὶ μὴ ἔκπλεων. (CCXLVII.)

σχεδὸν ἀπ' αὐτῶν τούτων καὶ τὰ κακὰ γίγνεσθαι φιλεῖ. Ὅθεν ἐπίφορον εἰς συνταγμάτων κατόρθωσιν τάτε κάλλη τῆς ἑρμηνείας, καὶ τὰ ὕψη, καὶ πρὸς τούτοις αἱ ἡδοναί· καὶ αὐτὰ ταῦτα, καθάπερ τῆς ἐπιτυχίας, οὕτως ἀρχαὶ καὶ ὑποθέσεις καὶ τῶν ἐναντίων καθίστανται. Τοιοῦτόν πως καὶ αἱ μεταβολαὶ καὶ αἱ ὑπερβολαὶ, καὶ τὰ πληθυντικά. (Sect. V.)

*) De κακοζηλίᾳ videndus *Schneid.* ad Nostrum p. 186. Item *Quintil.* Inst. orat. l. VIII. c. 3. § 56 sqq. Recte quidem *Fabius* hoc elocutionis vitium (de quo jam supra §. 19. in not. monuimus) in universa *mala affectatione* ponit et ad omnia dicendi genera refert. «Κακόζηλον, id est, *mala affectatio, per omne dicendi genus peccat.* Nam et tumida, et exilia, et praedulcia, et abundantia, et arcessita, et exultantia sub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον vocatur, quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret et specie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cetera parum vitantur, hoc petitur. Est autem totum in elocutione.

Quintilianus. (L. l. XII. c. 10. §. 73.)

Falluntur plurimum, qui vitiosum et corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia exultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut praecipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existimant populare atque plausibile. Quod quidem placere multis, nec infitior, nec miror.

Horatius. (Ep. ad Pis. v. 24 seqq.)

Decipimur specie recti: Brevis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.

Aul. Gell. (L. VII. c. 14.)

Singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulacris falsis ementiuntur. Sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squallentes et jejuni dicti pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus.

CAPUT IV.

De elocutionis decoro.

§. 25.

Aristoteles. (Rhet. l. III. c. 7.)

Τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ, καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. Τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτο-

καβδάλως λέγηται, μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς· μηδ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος· εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται· οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν· ὁμοίως γὰρ ἔνια ἔλεγεν, καὶ εἰ εἴπειεν ἄν, «πότνια συκῆ.» Παθητικὴ δὲ, ἐὰν μὲν ᾖ ὕβρις, ὀργιζομένου λέξις· ἐὰν δὲ ἀσεβῆ καὶ αἰσχρὰ, δυσχεραινόντως καὶ εὐλαβουμένως λέγειν· ἐὰν δὲ ἐπαινετὰ, ἀγαμένως· ἐὰν δὲ ἐλεεινὰ, ταπεινῶς· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων δὲ ὁμοίως. Πιθανοῖ δὲ τὸ πρᾶγμα καὶ ἡ οἰκεία λέξις· παραλογίζεται γὰρ ἡ ψυχὴ ὡς ἀληθῶς λέγοντος, ὅτι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις οὕτως ἔχουσιν· ὥςτ' οἴονται, εἰ καὶ μὴ οὕτως ἔχει, ὡς ὁ λέγων τὰ πράγματα [οὕτως] ἔχειν. Καὶ συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι, κἂν μηθὲν λέγῃ· διὰ πολλοὶ καταπλήττουσι τοὺς ἀκροατὰς θορυβοῦντες. Καὶ ἠθικὴ δὲ αὕτη ἡ ἐκ τῶν σημείων δεῖξις, ὅτι ἀκολουθεῖ ἡ ἁρμόττουσα ἑκάστῳ γένει καὶ ἕξει. λέγω δὲ γένος μὲν καθ' ἡλικίαν, οἷον παῖς, ἢ ἀνὴρ, ἢ γέρων· καὶ γυνὴ, ἢ ἀνήρ· καὶ Λάκων, ἢ Θετταλός. Ἕξεις δὲ, καθ' ἃςποιός τις τῷ βίῳ· οὐ γὰρ καθ' ἅπασαν ἕξιν οἱ βίοι ποιοί τινες· ἐὰν οὖν καὶ τὰ ὀνόματα οἰκεῖα λέγῃ τῇ ἕξει, ποιήσει τὸ ἦθος· οὐ γὰρ ταὐτὰ, οὐδ' ὡσαύτως, ἄγροικος ἂν καὶ πεπαιδευμένος εἴπειεν. πάσχουσι δέ τι οἱ ἀκροαταὶ καὶ, ᾧ κατακόρως χρῶνται οἱ λογογράφοι· «τίς δ' οὐκ οἶδεν;» «ἅπαντες ἴσασιν·» ὁμολογεῖ γὰρ ὁ ἀκούων αἰσχυνόμενος, ὅπως μετέχῃ, οὗπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες. Τὸ δ' εὐκαίρως, ἢ μὴ εὐκαίρως χρῆσθαι κοινὸν ἁπάντων τῶν εἰδῶν ἐστιν. Ἄκος δ' ἐπὶ πάσῃ ὑπερβολῇ τὸ θρυλλούμενον· δεῖ γὰρ αὐτὸν αὑτῷ προςεπιπλήττειν· δοκεῖ γὰρ ἀληθὲς εἶναι, ἐπεὶ οὐ λανθάνει γε, ὃ ποιεῖ, τὸν λέγοντα. Ἔτι τοῖς ἀνάλογον μὴ πᾶσιν ἅμα χρήσασθαι· οὕτω γὰρ κλέπτεται ὁ ἀκροατής. λέγω δὲ, οἷον ἐὰν τὰ ὀνόματα σκληρὰ ᾖ, μὴ καὶ

τῇ φωνῇ, καὶ τῷ προςώπῳ, καὶ τοῖς ἁρμόττουσιν· εἰ δὲ μὴ, φανερὸν γίγνεται ἕκαστον, ὅ ἐστιν. ἐὰν δὲ τόδε μὲν, τόδε δὲ μὴ λανθάνῃ ποιῶν, τὸ αὐτό. ἐὰν οὖν τὰ μαλακὰ σκληρῶς, καὶ τὰ σκληρὰ μαλακῶς λέγηται, ἀπίθανον γίγνεται. Τὰ δὲ ὀνόματα, τὰ ἐπίθετα, καὶ διπλᾶ πλείω, καὶ τὰ ξένα μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς· συγγνώμη γὰρ ὀριζομένῳ, κακὸν φάναι οὐρανόμηκες, ἢ πελώριον εἰπεῖν. καὶ ὅταν ἔχῃ ἤδη τοὺς ἀκροατὰς, καὶ ποιήσῃ ἐνθουσιάσαι ἢ ἐπαίνοις ἢ ψόγοις, ἢ ὀργῇ ἢ φιλίᾳ, οἷον καὶ Ἰσοκράτης ποιεῖ ἐν τῷ Πανηγυρικῷ ἐπὶ τέλει, «Φήμην δὲ καὶ μνήμην·» καὶ, «Οἵ τινες ἔτλησαν.» φθέγγονταί τε γὰρ τὰ τοιαῦτα ἐνθουσιάζοντες· ὥςτε καὶ ἀποδέχονται δηλονάτι ὁμοίως ἔχοντες. διὸ καὶ τῇ ποιήσει ἥρμοσεν· ἔνθεον γὰρ ἡ ποίησις. ἢ δὴ οὕτω δεῖ, ἢ μετ' εἰρωνείας, ὅπερ Γοργίας ἐποίει, καὶ τὰ ἐν τῷ Φαίδρῳ *).

Dion. Halicar. (De verb. comp. XX. p. 135.)

Εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος ὁ περὶ τοῦ πρέποντος. ὡς γὰρ τοῖς ἄλλοις σχήμασιν ἅπασι παρεῖναι δεῖ τὸ πρέπον· καὶ εἴ τι ἄλλο ἔργον. ἀτυχεῖ τοῦτο τοῦ μέρους, εἰ καὶ μὴ τοῦ παντὸς, τοῦ κρατίστου γ' ἀτυχεῖ. περὶ μὲν οὖν ὅλης τῆς ἰδέας ταύτης οὐχ οὗτος ὁ καιρὸς ἀνασκοπεῖν. βαθεῖα γάρ τις αὕτη καὶ πολλῶν πάνυ δεομένη λόγων ἡ θεωρία. ὅσα δ' εἰς τοῦτο συντείνει τὸ μέρος, ὑπὲρ οὗ τυγχάνω ποιούμενος τὸν λόγον, εἰ μὴ καὶ τὰ πάντα, μηδὲ τὰ πλεῖστα, ὅσα γ' οὖν ἐγχωρεῖ, λεγέσθω.

Ὁμολογουμένου δὴ παρὰ πᾶσιν, ὅτι πρέπον ἐστὶ τὸ τοῖς ὑποκειμένοις ἁρμόζον προςώποις τε καὶ πράγμασιν, ὥςπερ ἡ ἐκλογὴ τῶν ὀνομάτων, ἡ μέν τις ἂν εἴη πρέπουσα τοῖς ὑποκειμένοις, ἡ δ' ἀπρεπὴς, οὕτω

*) Scilic. Platonis.

δή που καὶ ἡ σύνθεσις. παράδειγμα δὲ τούτο χρὴ παραλαμβάνειν τὴν ἀλήθειαν. ὁ δὲ λέγω, τοιοῦτόν ἐστιν· οὐχ ὁμοίᾳ συνθέσει χρώμεθα ὀργιζόμενοι καὶ χαίροντες, οὐδ' ὀλοφυρόμενοι καὶ φοβούμενοι, οὐδ' ἐν ἄλλῳ τινὶ πάθει, ἢ κακῷ ὄντες, ὥςπερ ὅταν ἐνθυμώμεθα καὶ μηδὲν ἡμᾶς ὅλως ταράττῃ, μηδὲ παραλυπῇ. δείγματος, ἢ παραδείγματος ἕνεκα ταῦτα εἴρηκα ὀλίγα περὶ πολλῶν, ἐπεὶ μυρία ὅσα τις αἴτια εἰπεῖν ἔχοι, τὰς ἰδέας ἁπάσας ἐκλογίζεσθαι βουλόμενος τοῦ πρέποντος. ἓν δὲ, ὃ προχειρότατον ἔχω καὶ κοινότατον εἰπεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ, τοῦτο ἐρῶ. οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι ἐν τῇ αὐτῇ καταστάσει τῆς ψυχῆς ὄντες, ὅταν ἀπαγγέλλωσι τὰ πράγματα, οἷς ἂν παραγενόμενοι τύχωσιν, οὐχ ὁμοίᾳ χρῶνται συνθέσει περὶ πάντων, ἀλλὰ μιμητικοὶ γίνονται τῶν ἀπαγγελλομένων, καὶ ἐν τῷ συντιθέναι τὰ ὀνόματα οὐδὲν ἐπιτηδεύοντες, ἀλλὰ φυσικῶς ἐπὶ τοῦτο ἀγόμενοι. ταῦτα δὲ παρατηροῦντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν ποιητήν τε καὶ ῥήτορα μιμητικὸν εἶναι τῶν πραγμάτων, ὑπὲρ ὧν αὐτοὺς λόγους ἐκφέρῃ, μὴ μόνον κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν. ὃ ποιεῖν εἴωθεν ὁ δαιμονιώτατος Ὅμηρος, καίτοι μέτρον ἔχων ἓν, καὶ ῥυθμοὺς ὀλίγους, ἀλλ' ὅμως ἀεί τι καινουργῶν ἐν τούτοις καὶ φιλοτεχνῶν· ὥςτε μηδὲν ἡμῖν διαφέρειν γινόμενα τὰ πράγματα, ἢ λεγόμενα ὁρᾶν *).

Cicero (Orat. c. 21 et 22.)

Magni judicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille et quasi temperator hujus tripartitae varietatis. — Sed est eloquentiae, sicut reliqua-

*) *Hermogenes* (de. form. or. l. II, c. 9.) non pauca profert, quae praecipuis de elocutionis decoro praeceptis adjungere possis.

rum rerum, fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, *quid deceat*, videre; πρέπον appellant hoc Graeci, nos dicamus sane *decorum*. De quo praeclare, et multa praecipiuntur, et res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modo in vita, sed saepissime et in poematis et in oratione peccatur. Est autem, quid deceat, videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus aut tempus aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum; semperque in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat, est considerandum: quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum, longe et late patentem, philosophi solent in officiis tractare *),

*) Noster ipse hunc locum, quatenus philosophiam attinet, tractandum resumsit in opere suo clarissimo, quod *de officiis* inscribitur (libr. I. c. 27 seqq.), unde pauca, huc facientia, proferantur.

«Hoc loco continetur id, quod dici latine *decorum* potest; graece enim πρέπον dicitur. Hujus vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam et quod decet, honestum est, et quod honestum est decet. — — De decoro, quod poetae sequuntur, alio loco plura dici solent. Sed tum servare illud, quod deceat, dicimus, quum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur. Ut, si Aeacus aut Minos diceret:

Oderint, dum metuant. — — Aut

— — *natis sepulcro ipse est parens:*

indecorum videretur, quod, eos fuisse justos, accepimus: at Atreo dicente, plausus excitantur; est enim digna persona oratio. Sed poetae, quid quemque deceat, ex per-

grammatici in poetis, eloquentes in omni et genere et parte causarum. Quam enim indecorum est, de stillicidiis quum apud unum judicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus, de majestate populi Romani summisse et subtiliter! Hic genere toto. — At persona alii peccant, aut sua, aut judicum, aut etiam adversariorum; nec re solum, sed saepe verbo. Etsi sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur aut rejicitur, alio atque alio elata verbo. In omnibusque rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. — — *Oportere* perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est et omnibus; *decere*, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personae: quod quum in factis saepissime, tum in dictis valet, in vultu denique, et gestu, et incessu; contraque item dedecere.

---

sona judicabunt; nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquarum. Quocirca poetae in magna varietate personarum etiam vitiosis, quid conveniat et quid deceat, videbunt; nobis autem (scil. philosophis) quum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint, quumque eadem natura doceat, non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus: efficitur, ut et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum, quam late fusum sit, appareat, et hoc, quod spectatur in uno quoque genere virtutis.

Quintilianus. (Inst. or. l. XI. c. 1.)

Parata facultate scribendi cogitandique, proxima est cura, ut dicamus *apte;* quam virtutem quartam elocutionis *Cicero* demonstrat *), quaeque est meo judicio maxime necessaria. Nam cum sit ornatus orationis varius et multiplex, conveniatque alius alii; nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet et vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodest, esse verba et latina et significantia et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae judicem duci formarique volumus, consentiant? si genus sublime dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, summissum concitatis, trux atque violentum jucundis adhibeamus? ut monilibus et margaritis ac veste longa, quae sunt ornamenta feminarum, deformentur viri; nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, feminas deceat. — Nam ornatus omnis non tam sua, quam rei, cui adhibetur, conditione constat; nec plus refert, quid dicas, quam quo loco. Sed totum hoc, *apte dicere*, non elocutionis tantum genere constat, sed est cum *inventione* commune **). — Illud est diligentius docendum, eum demum dicere apte, qui non solum id, quid *expediat*, sed et quid *deceat*, inspexerit. — — Est

*) Cf. *De orat.* l. III. c. 10. ubi Cicero ita: Quinam igitur dicendi est modus melior, quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut *ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus.*

**) Cf. caput proximum, quo doctrinae de *materia* dicendi universa summa continetur.

utem, quod omnes et semper et ubique deceat, ıcere ac *dicere honeste;* contraque neminem unquam llo in loco, *turpiter.* Minora vero, quaeque sunt ex ıediis, plerumque sunt talia, ut aliis sint contemıenda, aliis non sint, aut pro persona, tempore, oco, causa magis ac minus vel excusata debeant ideri, vel reprehendenda.

Horat. (Ad Pison)

Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
(v. 93.)

— — — — — — — —

— — — Male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta;
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
Inter erit multum Davusne loquatur an heros;
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque flebilis Ino;
Perfidus Ixion, Jo vaga, tristis Orestes.
(v. 104 — 125.)

B.

De materia dicendi universa *).

(Materia dicendi, in universum considerata, eas complectitur res, quae nulli artis literariae generi propriae conveniunt sed unicuique quodammodo subesse possunt. Praeter locos ut vocant, communes, v. g. magnitudinis, possibilis et impossibilis etc.; quos, utpote generi oratorio oportuniores, hic ommittendos censemus, materia universa *triplex* spectari potest versaturque in *affectibus* (πάθεσι), *moribus* (ἤθεσι) **), et *simili*).

CAPUT I.

De affectibus.

§. 26.

De affectuum notione atque natura.

Aristoteles. (Rhet. l. II. c. 1. p. 165. ed. Buhle.)

Ἔστι δὲ τὰ πάθη, δι' ὅσα μεταβάλλοντες, διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονὴ

---

*) Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest. (*Cicer.* de l. I. c. 11. §. 48.) — Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum, sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia? (*Ibid.* c. §. 51.)

**) Duo sunt, quae bene tractata, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum est, quod graeci ἠθικὸν vocant, ad naturas et ad mores et ad omne vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, qua perturbantur animi et concitantur. (*Cicer.* orat. c. 37. §. 128.)

οἷον ὀργὴ, ἔλεος, φόβος καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, καὶ τὰ τούτοις ἐναντία. Δεῖ δὲ διαιρεῖν τὰ περὶ ἕκαστον εἰς τρία· λέγω δὲ, οἷον περὶ ὀργῆς, πως τε διακείμενοι ὀργίλοι εἰσὶ, καὶ τίσιν εἰώθασιν ὀργίζεσθαι, καὶ ἐπι ποίοις. Εἰ γὰρ τὸ μὲν ἓν, ἢ τὰ δύο ἔχοιμεν τούτων, ἅπαντα δὲ μὴ, ἀδυνατὸν ἂν εἴη τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Cicero. (Tusc. disput. l. IV. c. 5 et 6.)

Quoniam, quae Graeci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos; in his explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, deinde Platonis descriptionem sequar. Qui animum in duas partes dividunt; alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi *). Sit igitur hic fons; utamur tamen in his pertubationibus describendis Stoicorum definitionibus, et partitionibus, qui mihi videntur in hac quaestione versari acutissime.

Est igitur Zenonis haec definitio, ut *perturbatio* sit, quod πάθος ille dicit, aversa a recta ratione contra naturam animi commotio. Quidam brevius: appetitam vehementiorem; sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia.

*) Loci principes de ea, quam Cicero respicit, Platonis doctrina exstant: De republ. l. IX. p. 238 seqq. ed. Bip. In Timaeo p. 312, 327 et 386 seqq. In Phaedr. p. 319 seqq.

Quintil. (Inst. or. l. VI. c. 2. §. 20 seqq.)

Diversum est huic (scilic. τῷ ἤθει) quod πάθος dicitur, quodque nos *affectum* proprie vocamus. — Haec pars circa *iram*, *odium*, *metum*, *invidiam*, *miserationem* fere tota versatur.

§. 27.

De singulis quibusdam affectibus, inprimis, quatenus dicendi materiam praebere possunt.

Aristoteles. (Rhet. l. II)

De ira ejusdemque delinitione. (c. 2 et 3.)

Ἔστω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμορίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα μὴ προσηκόντως. Εἰ δὴ τοῦτ' ἐστὶν ἡ ὀργὴ, ἀνάγκη, τὸν ὀργιζόμενον ὀργίζεσθαι ἀεὶ τῶν καθέκαστον τινί· οἷον Κλέωνι, ἀλλ' οὐκ ἀνθρώπῳ· καὶ ὅτι αὐτὸν, ἢ τῶν αὐτοῦ [τινά] τι πεποίηκεν, ἢ ἤμελλε. καὶ πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαί τινα ἡδονὴν, τὴν ὑπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήσασθαι· ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι, ὧν ἐφίεται· οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὐτῷ· ὁ δ' ὀργιζόμενος ἐφίεται αὐτῷ δυνατῶν. διὸ καλῶς εἴρηται περὶ θυμοῦ,

Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται· *)

ἀκολουθεῖ γὰρ καὶ ἡδονή τις διά τε τοῦτο, καὶ διότι διατρίβουσιν ἐν τῷ τιμωρεῖσθαι τῇ διανοίᾳ. ἡ οὖν τότε ἐγγινομένη φαντασία ἡδονὴν ποιεῖ, ὥσπερ ἡ τῶν

*) *Hom.* Il. l. XVIII. v. 109.

ἐνυπνίων. — — Ἐπεὶ δὲ τὸ ὀργίζεσθαι ἐναντίον τῷ πραΰνεσθαι, καὶ ὀργὴ πραότητι, ληπτέον, πῶς ἔχοντες πρᾶοί εἰσι· καὶ πρὸς τίνας πράως ἔχουσι καὶ διὰ τίνων πραΰνονται. Ἔστω δὴ πράϋνσις, κατάστασις καὶ ἠρέμησις ὀργῆς. Εἰ οὖν ὀργίζονται τοῖς ὀλιγωροῦσιν, ὀλιγωρία δὲ ἐστιν ἑκούσιον, φανερὸν, ὅτι καὶ τοῖς μηδὲν τούτων ποιοῦσιν, ἢ ἀκουσίως ποιοῦσιν, ἢ φαινομένοις τοιούτοις πρᾶοί εἰσι. Καὶ τοῖς τἀναντία, ὧν ἐποίησαν, βουλομένοις. Καὶ ὅσοι καὶ αὐτοὶ εἰς αὐτοὺς τοιοῦτοι· οὐδεὶς γὰρ αὐτὸς αὐτοῦ δοκεῖ ὀλιγωρεῖν. Καὶ τοῖς ὁμολογοῦσι, καὶ μεταμελομένοις· ὡς γὰρ ἔχοντες δίκην τὸ λυπεῖσθαι περὶ τοῖς πεποιημένοις, παύονται τῆς ὀργῆς. Σημεῖον δὲ ἐπὶ τῆς τῶν οἰκετῶν κολάσεως· τοὺς μὲν γὰρ ἀρνουμένους καὶ ἀντιλέγοντας μᾶλλον κολάζομεν, πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας δικαίως κολάζεσθαι, πανόμεθα θυμούμενοι. Αἴτιον δὲ, ὅτι ἀναισχυντία τὸ τὰ φανερὰ ἀρνεῖσθαι, ἡ δὲ ἀναισχυντία ὀλιγωρία καὶ καταφρόνησις· ὧν γοῦν πολὺ καταφρονοῦμεν, οὐκ αἰσχυνόμεθα. Καὶ τοῖς ταπεινουμένοις πρὸς αὐτοὺς, καὶ μὴ ἀντιλέγουσι· φαίνονται γὰρ ὁμολογεῖν ἥττους εἶναι· οἱ δὲ ἥττους φοβοῦνται, φοβούμενος δὲ οὐδεὶς ὀλιγωρεῖ. Ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργὴ, καὶ οἱ κύνες δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς καθίζοντας *). Καὶ τοῖς σπουδάζουσι πρὸς τοὺς σπουδάζοντας· δοκεῖ γὰρ σπουδάζεσθαι,

---

*) Huic se comparant Ovidii illi versus:

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Et faciles motus mens generosa capit.
At lupus et turpes instant morientibus ursi:
Et quaecumque minor nobilitate fera est.
Ovid. (Trist. III. el. v. 33 seqq.)

ἀλλ' οὐ καταφρονεῖσθαι. Καὶ τοῖς μείζω κεχαρισμένοις· καὶ τοῖς δεομένοις, καὶ παραιτουμένοις· ταπεινότεροι γάρ. Καὶ τοῖς μὴ ὑβρισταῖς, μὴ δὲ χλευασταῖς, μήδ' ὀλιγώροις, ἢ εἰς μηδενα, ἢ μὴ εἰς χρηστοὺς, ἢ μὴ εἰς τοιούτους, οἷοιπερ αὐτοί. Ὅλως δ' ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ σκοπεῖν τὰ πραϋντικά. Καὶ οὓς φοβοῦνται, καὶ αἰσχύνονται· ἕως γὰρ ἂν οὕτως ἔχωσιν, οὐκ ὀργίζονται· ἀδύνατον γὰρ, ἅμα φοβεῖσθαι καὶ ὀργίζεσθαι. Καὶ τοῖς δι' ὀργὴν ποιήσασιν, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον ὀργίζονται· οὐ γὰρ δι' ὀλιγωρίαν φαίνονται πρᾶξαι· οὐδεὶς γὰρ ὀργιζόμενος ὀλιγωρεῖ· ἡ μὲν γὰρ ὀλιγωρία ἄλυπον, ἡ δ' ὀργὴ μετὰ λύπης. Καὶ τοῖς αἰσχυνομένοις αὐτοὺς. καὶ ἔχοντες δὲ ἐναντίως τῷ ὀργίζεσθαι, δῆλον, ὅτι πρᾷοί εἰσιν· οἷον ἐν παιδιᾷ, ἐν γέλωτι, ἐν ἑορτῇ, ἐν εὐημερίᾳ, ἐν κατορθώσει, ἐν πληρώσει. ὅλως ἐν ἀλυπίᾳ καὶ ἡδονῇ μὴ ὑβριστικῇ, καὶ ἐν ἐλπίδι ἐπιεικεῖ. ἔτι κεχρονικότες, καὶ μὴ ὑπόγυοι τῇ ὀργῇ ὄντες· παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος. — — — Δῆλον οὖν, ὅτι τοῖς καταπραΰνειν βουλομένοις ἐκ τούτων τῶν τόπων λεκτέον· αὐτοὺς μὲν παρασκευάζουσι τοιούτους· οἷς δ' ὀργίζονται, ἢ φοβεροὺς, ἢ αἰσχύνης ἀξίους, ἢ κεχαρισμένους, ἢ ἄκοντας, ἢ ὑπεραλγοῦντας τοῖς πεποιημένοις.

De amicitia et odio. (c. 4.)

Ἔστω δὴ τὸ φιλεῖν τὸ βούλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθὰ, ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐτοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. φίλος δ' ἐστὶν ὁ φιλῶν καὶ ἀντιφιλούμενος. οἴονται δὲ φίλοι εἶναι οἱ οὕτως ἔχειν οἰόμενοι πρὸς ἀλλήλους. — — — Ποιητικὰ δὲ φιλίας, χάρις, καὶ τὸ μὴ δεηθέντος ποιῆσαι, καὶ τὸ ποιήσαντα μὴ δηλῶσαι· αὐτοῦ γὰρ οὕτως ἕνεκα

φαίνεται, καὶ οὐ δι' ἕτερον. 30. Περὶ δὲ ἔχθρας καὶ τοῦ μισεῖν φανερὸν, ὡς ἐκ τῶν ἐναντίων δεῖ θεωρεῖν. ποιητικὰ δὲ ἔχθρας, ὀργὴ, ἐπηρεασμὸς, διαβολή. Ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν ἐκ τῶν πρὸς ἑαυτόν· ἔχθρα δὲ καὶ ἄνευ τῶν πρὸς ἑαυτόν· ἐὰν γὰρ ὑπολάβωμεν εἶναι τοιόνδε, μισοῦμεν. καὶ ἡ μὲν ὀργὴ ἀεὶ περὶ τὰ καθέκαστα· οἷον Καλλίαν, ἢ Σωκράτην· τὸ δὲ μῖσος καὶ πρὸς τὰ γένη· τὸν γὰρ κλέπτην μισεῖ καὶ τὸν συκοφάντην ἕκαστος. καὶ τὸ μὲν ἰατὸν χρόνῳ· τὸ δ' ἀνίατον. καὶ ἡ μὲν τοῦ λυπῆσαι ἐφίεται· ἡ δὲ τοῦ κακῶσαι μᾶλλον. αἰσθέσθαι γὰρ βούλεται ὁ ὀργιζόμενος· τῷ δὲ οὐδὲν διαφέρει. ἔστι δὲ τὰ μὲν λυπηρὰ αἰσθητὰ πάντα· τὰ δὲ μάλιστα κακὰ, ἥκιστα αἰσθητὰ, ἀδικία καὶ ἀφροσύνη· οὐδὲν γὰρ λυπεῖ ἡ παρουσία τῆς κακίας. καὶ τὸ μὲν μετὰ λύπης· τὸ δ' οὐ μετὰ λύπης· ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος λυπεῖται· ὁ δὲ μισῶν οὔ. καὶ ὁ μὲν, πολλῶν ἂν γενομένων, ἐλεήσειεν· ὁ δὲ οὐδενός. ὁ μὲν γὰρ ἀντιπαθεῖν βούλεται, ᾧ ὀργίζεται· ὁ δὲ, μὴ εἶναι. Φανερὸν οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἐνδέχεται ἐχθροὺς καὶ φίλους καὶ ὄντας ἀποδεικνύναι, καὶ μὴ ὄντας ποιεῖν, καὶ φάσκοντας διαλύειν, καὶ ἢ δι' ὀργὴν, ἢ δι' ἔχθραν ἀμφισβητοῦντας, ἐφ' ὁπότερ' ἂν προαιρῆταί τις, ἄγειν. ποῖα δὲ φοβοῦνται, καὶ τίνας, καὶ πῶς ἔχοντες, ὧδ' ἔσται φανερόν.

De metu et metuendis. (c. 5.)

Ἔστω δὴ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ *). οὐ γὰρ πάντα τὰ κακὰ φοβεῖται· οἷον, εἰ ἔσται ἄδικος, ἢ

---

*) Metus notionem similiter Cicero exprimit: Metus opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videtur. (Tusc. quaest. l. IV. c. 7.)

βραδύς· ἀλλὰ ὅσα ἢ λύπας μεγάλας, ἢ φθορὰς δύναται· καὶ ταῦτα ἂν μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνηται, ὥςτε μέλλειν· τὰ γὰρ πόῤῥω σφόδρα οὐ φοβοῦνται. ἴσασι γὰρ πάντες, ὅτι ἀποθανοῦνται· ἀλλ', ὅτι οὐκ ἐγγὺς, οὐδὲν φροντίζουσιν. Εἰ δὴ ὁ φόβος τοῦτ' ἐστὶν, ἀνάγκη, τὰ τοιαῦτα φοβερὰ εἶναι, ὅσα φαίνεται δύναμιν ἔχειν μεγάλην τοῦ φθείρειν, ἢ βλάπτειν βλάβας εἰς λύπην μεγάλην συντεινούσας. διὸ καὶ τὰ σημεῖα τῶν τοιούτων φοβερά. ἔγγυς γὰρ φαίνεται τὸ φοβερόν· τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός *).

De pudore. (c. 6.)

Ἔστω δὴ αἰσχύνη λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. ἡ δ' ἀναισχυντία ὀλιγωρία τις καὶ ἀπάθεια περὶ τὰ αὐτὰ ταῦτα. Εἰ δὴ ἔστιν αἰσχύνη ἡ ὁρισθεῖσα, ἀνάγκη, αἰσχύνεσθαι μὲν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τῶν κακῶν, ἃ δοκεῖ αἰσχρὰ εἶναι αὐτῷ, ἢ ὧν φροντίζει· τοιαῦτα δ' ἐστὶν, ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστίν.

De gratia. (c. 7.)

Ἔστω δὴ χάρις, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν τῷ δεομένῳ μὴ ἀντὶ τινὸς, μηδ' ἵνα τι αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ' ἵνα ἐκείνῳ τι. μεγάλη δ', ἂν ἢ σφόδρα δεομένων, ἢ μεγάλων, καὶ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις, ἢ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα. Δεήσεις δέ εἰσιν αἱ ὀρέξεις, καὶ τούτων μάλιστα αἱ

---

*) Sub metu (alii: sub me*tum*) autem subjecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido. (*Cicero*, l. c. l. IV. c. 7.)

μετὰ λύπης τοῦ μὴ γιγνομένου· τοιαῦται δὲ αἱ ἐπιθυμίαι· οἷον ὁ ἔρως. καὶ ἐν ταῖς τοῦ σώματος κακώσεσι, καὶ ἐν κινδύνοις· καὶ γὰρ ὁ κινδυνεύων ἐπιθυμεῖ, καὶ ὁ λυπούμενος. διὸ οἱ ἐν πενίᾳ παριστάμενοι καὶ φυγαῖς, κἂν μικρὰ ὑπηρετήτωσι, διὰ τὸ μέγεθος τῆς δεήσεως, καὶ τὸν καιρὸν κεχαρισμένοι· οἷον, ὁ ἐν Λυκείῳ τὸν φορμὸν δούς. Ἀνάγκη οὖν, μάλιστα μὲν εἰς τοιαῦτα ἔχειν τὴν ὑπουργίαν· εἰ δὲ μὴ, εἰς ἴσα, ἢ μείζω. ὥςτ' ἐπεὶ φανερὸν, καὶ ὅτε, καὶ ἐφ' οἷς γίγνεται χάρις, καὶ πῶς ἔχουσι, δῆλον, ὅτι ἐκ τούτων παρασκευαστέον τοὺς μὲν δεικνύντας ἢ ὄντας, ἢ γεγενημένους ἐν τοιαύτῃ λύπῃ καὶ δεήσει· τοὺς δὲ ὑπηρετῆσαι ἐν τοιαύτῃ χρείᾳ τοιοῦτόν τι ὑπηρετοῦντας.

De invidia. (c. 10.)

Δῆλον δὲ, καὶ ἐπὶ τίσι φθονοῦσι, καὶ τίσι, καὶ πῶς ἔχοντες, εἴπερ ἐστὶν ὁ φθόνος λύπη τὶς ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένῃ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν περὶ τοὺς ὁμοίους, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους· φθονήσουσι μὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι, οἷς εἰσί τινες ὅμοιοι, ἢ φαίνονται. Ὁμοίους δὲ λέγω, κατὰ γένος, κατὰ συγγένειαν, καθ' ἡλικίαν, καθ' ἕξιν, κατὰ δόξαν, κατὰ τὰ ὑπάρχοντα. καὶ οἷς μικροῦ ἐλλείπει τὸ μὴ πάντα ὑπάρχειν· διὸ οἱ μεγάλα πράττοντες καὶ εὐτυχοῦντες φθονεροί εἰσιν· πάντας γὰρ οἴονται τὰ αὐτῶν φέρειν. Καὶ οἱ τιμώμενοι ἐπί τινι διαφερόντως καὶ μάλιστα ἐπὶ σοφίᾳ, ἢ εὐδαιμονίᾳ. καὶ οἱ φιλότιμοι φθονερώτεροι τῶν ἀφιλοτίμων. καὶ οἱ δοξόσοφοι· φιλότιμοι γὰρ ἐπὶ σοφίᾳ. καὶ ὅλως οἱ φιλόδοξοι περί τι φθονεροὶ περὶ τοῦτο. καὶ οἱ μικρόψυχοι· πάντα γὰρ αὐτοῖς δοκεῖ μεγάλα εἶναι *).

*) *Invidentiam* esse dicunt (scilic. Stoici) aegritudinem sus-

De aemulatione. (c. 11.)

Πῶς δ' ἔχοντες ζηλοῦσι, καὶ τὰ ποῖα, καὶ ἐπὶ τίσιν, ἐνθένδ' ἐστὶ δῆλον. εἰ γάρ ἐστι ζῆλός λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν, περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι· (διὸ καὶ ἐπιεικές ἐστιν ὁ ζῆλος, καὶ ἐπιεικῶν· τὸ δὲ φθονεῖν φαῦλον, καὶ φαύλων· ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν παρασκευάζει διὰ τὸν ζῆλον τυγχάνειν τῶν ἀγαθῶν· ὁ δὲ τὸν πλησίον μὴ ἔχειν διὰ τὸν φθόνον·) ἀνάγκη δὴ, ζηλωτικοὺς μὲν εἶναι τοὺς ἀξιοῦντας ἑαυτοὺς ἀγαθῶν, ὧν μὴ ἔχουσιν· οὐδεὶς γὰρ ἀξιοῖ τὰ φαινόμενα ἀδύνατα· διὸ οἱ νέοι, καὶ οἱ μεγαλόψυχοι, τοιοῦτοι· καὶ οἷς ὑπάρχει τοιαῦτα ἀγαθὰ, ἃ τῶν ἐντίμων ἄξιά ἐστιν ἀνδρῶν· ἔστι γὰρ ταῦτα πλοῦτος, καὶ πολυφιλία, καὶ ἀρχαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα. ὡς γὰρ προσῆκον αὐτοῖς ἀγαθοῖς εἶναι, ὅτι προσῆκε τοῖς ἀγαθῶς ἔχουσι, ζηλοῦσι τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν. Καὶ οὓς οἱ ἄλλοι ἀξιοῦσι. Καὶ ὧν πρόγονοι, ἢ συγγενεῖς, ἢ οἰκεῖοι, ἢ τὸ ἔθνος, ἢ ἡ πόλις, ἔντιμοι, ζηλωτικοὶ περὶ ταῦτα· οἰκεία γὰρ οἴονται αὐτοῖς εἶναι, καὶ ἄξιοι τούτων. Εἰ δέ ἐστι ζηλωτὰ τὰ ἔντιμα ἀγαθὰ, ἀνάγκη, τάς τε ἀρετὰς εἶναι τοιαύτας, καὶ ὅσα τοῖς ἄλλοις ὠφέλιμα καὶ εὐεργετικά· τιμῶσι γὰρ τοὺς εὐεργετοῦντας καὶ τοὺς ἀγαθούς· καὶ ὅσων ἀγαθῶν ὑπόλαυσις τοῖς

---

ceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti; nam siquis doleat ejus rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicitur invidere: ut si Hectori Agamemno. Qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invidet profecto. (*Cic.* l. c. l. IV. c. 8.)

πλησίον ἐστίν· οἷον, πλοῦτος καὶ κάλλος μᾶλλον ὑγιείας *).

§. 28.

De modo, quo in dicendo affectus tractandi sint.

Cicero (de orat. l. II.)

Atqui si ita placet, trademus etiam, quae nos sequi (scilic. circa movendos affectus) in dicendo, quaeque maxime spectare solemus. Docuit enim jam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut, quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus. (c. L. §. 204.)

Equidem primum considerare soleo, postuletne causa. Nam parvis in rebus adhibendae non sunt hae dicendi faces, ne irrisione digni putemur, si tragoedias agamus in nugis. — Sentimus amorem conciliari, si id videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare. Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem; plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes, nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse

---

*) *Aemulatio* autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur: sed ea nihil hoc loco utimur; est enim laudis: et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. (*Cic.* l. c. l. IV c. 8.)

causa sui. Invidetur enim commodis hominum ipsorum; studiis autem eorum ceteris commodandi favetur. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his ex locis et odium in alios struere discemus, et a nobis ac nostris demovere: eademque haec genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda, vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur. — — Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus. Interior est ille proprius; sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus. (c. LI. §. 205 seqq.)

Par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae: sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae, nec minus virium opus sit in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse: sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se jactant, et aequabilitatem juris praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. — — Jam misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; aut intuens alterum, crebro ad se ipsum revertatur. Ita, quum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est. (c. LII. §. 209 seqq.) — Illa autem, quae aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus efferenda sunt, ut

odio benevolentia, misericordia invidia tollatur. (c. LIII. §. 216.)

Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ui invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque ducatur, nisi omnes ii motus, quos auctor (orator) adhibere volet judici, in ipso auctore (oratore) impressi esse atque inusti videbuntur. (c. XLV. §. 189.) *)

Quintilianus. (Inst. or. l. VI. c. 2.)

Summa (quantum ego quidem sentio) circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Nam et luctus, et irae, et indignationis aliquando etiam ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud est causae, ut lugentes, utique in recenti dolore, disertissime quaedam exclamare videantur, ut ira nonnumquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis inest vis mentis et veritas ipsa morum? Quare in iis, quae verisimilia esse volemus, simus ipsi similes eorum, qui vere patiuntur, affectibus. — Primum est igitur, ut apud nos valeant ea, quae valere apud judicem volumus, afficiamurque, antequam afficere conemur.

At quomodo fiet, ut adficiamur? Neque enim sunt motus in nostram potestatem **). Tentabo etiam de

*) Huic Ciceronis loco proxime accedit ille notissimus *Horatii* (ep. ad Pis. v. 99 seqq.)

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu. — — — —

**) Plurimi legunt: in *nostra potestate.* Quod licet sit usita-

hoc dicere. Quas φαντασίας Graeci vocant, nos sane visiones adpellemus; per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis, ac praesentes habere videamus: has quisquis bene conceperit, is erit in adfectibus potentissimus. Hunc quidam dicunt εὐφαντασίωτον, qui sibi res, voces, actus, secundum verum optime finget; quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam ut inter otia animorum et spes inanes et velut somnia quaedam vigilantium; ita nos hae, de quibus loquimur, imagines prosequuntur, ut peregrinari, navigare, proeliari, populos adloqui, divitiarum, quas non habemus, usum videamur disponere, nec cogitare, sed facere: hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus? At hominem occisum queror; non omnia, quae in re praesenti accidisse credibile est, in oculis habebo? non percussor ille subitus erumpet? non expavescet circumventus? exclamabit, vel rogabit, vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo sanguis, et pallor, et gemitus, extremus denique exspirantis hiatus insidet? Insequetur ἐνάργεια, quae a Cicerone *illustratio* et *evidentia* nominatur: quae non tam dicere videtur, quam ostendere: et adfectus

---

tius, illud tamen «in nost*ram* potesta*tem*» mendo caret. Videamus, quid circa hanc rem *Gellius* moneat: Neque soloccismum esse aiebat (scilic. amicus Gellii, homo perquam eruditus) *in potestatem fuisse* (quomodo Ciceronem dixisse in orat. pro leg. Manilia testabatur), ut vulgus semidoctum putat, sed, ratione dictum certa et proba, contendebat, qua et Graeci ita uterentur: et Plautus, verborum latinorum elegantissimus, in Amphitryone dixit, numero mihi *in mentem fuit;* non, ut dici solitum est, *in mente* etc. etc. (Noct. Attic. l. I. c. 7.)

non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, sequentur. An non ex his visionibus illa sunt:

> Excussi manibus radii revolutaque pensa? *) et:
> Levique patens in pectore vulnus? **)

Quid? non idem poeta penitus ultimi fati concepit imaginem, ut diceret:

> — *Et dulces moriens reminiscitur Argos* ***).

Ubi vero *miseratione* opus erit, nobis ea, de quibus querimur, accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus. Nos simus, quos gravia, indigna, tristia passos queramur. Nec agamus rem, quasi alienam, sed adsumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quae in nostro simili casu dicturi essemus. Vidi ego saepe histriones atque comoedos, quum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Quodsi in alienis scriptis sola pronunciatio ita falsis accedit ****) adfectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, et moveri periclitantium vice possumus? †)

*) *Virg.* Aen. IX. 474.
**) Aen. XI. 40.
***) Aen. X. 782.
****) Nonnulli: *accendit.*
†) Alii: *at moveri — — possimus.*

CAPUT II.

De moribus.

§. 29.

De moribus juvenum.

Aristotel. (Rhetor. l. II., c. 12.)

Τὰ δὲ ἤθη ποῖοί τινες, κατὰ τὰ πάθη, καὶ τὰς ἕξεις, καὶ τὰς ἡλικίας, καὶ τὰς τύχας, διέλθωμεν μετὰ ταῦτα. Λέγω δὲ πάθη μὲν, ὀργὴν, ἐπιθυμίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα, περὶ ὧν εἰρήκαμεν πρότερον· ἕξεις δὲ, ἀρετάς καὶ κακίας. Εἴρηται δὲ καὶ περὶ τούτων πρότερον; καὶ ποῖα προαιροῦνται ἕκαστοι, καὶ ποίων πρακτικοί. Ἡλικίαι δὲ εἰσι νεότης, καὶ ἀκμὴ, καὶ γῆρας. Τύχην δὲ λέγω, εὐγενείαν, καὶ πλοῦτον, καὶ δυνάμεις, καὶ τ᾽ ἀναντία τούτοις, καὶ ὅλως εὐτυχίαν, καὶ δυστυχίαν. Οἱ μὲν οὖν νέοι τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοὶ, καὶ οἷοι ποιεῖν, ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσι. Καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν, μάλιστα ἀκολουθητικοὶ εἰσι ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια, καὶ ἀκρατεῖς ταύτης. Εὐμετάβολοι δὲ, καὶ ἀψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας. Καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται. ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλαι, ὥςπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι καὶ πεῖναι. Καὶ θυμικοὶ, καὶ ὀξύθυμοι, καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ. καὶ ἥττους εἰσὶ τοῦ θυμοῦ. Διὰ γὰρ φιλοτιμίαν οὐκ ἀνέχονται ὀλιγωρούμενοι, ἀλλ᾽ ἀγανακτούσιν, ἂν οἴωνται ἀδικεῖσθαι. Καὶ φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι· ὑπεροχῆς γὰρ ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης· ἡ δὲ νίκη ὑπεροχή τις. Καὶ ἄμφω ταῦτα μᾶλλον, ἢ φιλοχρήματοι· φιλοχρήματοι δὲ ἥκιστα διά τὸ μήπω ἐνδείας πεπειρᾶσθαι· ὥςπερ τὸ Πιττακοῦ ἔχει ἀπόφθεγμα εἰς Ἀμφιάραον. Καὶ οὐ κακοήθεις, ἀλλ᾽ εὐήθεις, διὰ τὸ

μήπω τεθεωρηκέναι πολλὰς πονηρίας· καὶ εὔπιστοι, διὰ τὸ μήπω πολλὰ ἐξηπατῆσθαι. Καὶ εὐέλπιδες· ὥςπερ γὰρ οἱ οἰνωμένοι, οὕτω διαθερμοί εἰσιν οἱ νέοι ὑπὸ τῆς φύσεως· ἅμα δὲ, καὶ διὰ τὸ μήπω πολλὰ ἀποτετυχηκέναι. καὶ ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι· ἡ μὲν γὰρ ἐλπὶς τοῦ μέλλοντός ἐστιν· ἡ δὲ μνήμη τοῦ παροιχομένου· τοῖς δὲ νέοις τὸ μὲν μέλλον πολὺ· τὸ δὲ παρεληλυθὸς βραχύ· τῇ γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ μεμνῆσθαι μὲν οὐδὲν οἴονται, ἐλπίζειν δὲ πάντα. Καὶ εὐεξαπάτητοί εἰσι διὰ τὸ εἰρημένον· ἐλπίζουσι γὰρ ῥᾳδίως. Καὶ ἀνδρειότεροι· θυμώδεις γὰρ καὶ εὐέλπιδες· ὧν τὰ μὲν μὴ φοβεῖσθαι, τό δὲ θαῤῥεῖν ποιεῖ. οὔτε γὰρ ὀργιζόμενος οὐδεὶς φοβεῖται· τό τε ἐλπίζειν ἀγαθόν τι, θάῤῥαλεον ἐστὶ. Καὶ ἀσχυντηλοί· οὐ γάρ πω καλὰ ἕτερα ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ πεπαίδευνται ὑπὸ τοῦ νόμου μόνον. Καὶ μεγαλόψυχοι· οὔτε γὰρ ὑπὸ τοῦ βίου οὔπω τεταπείνωνται, ἀλλά τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσι· καὶ τὸ ἀξιοῦν αὐτὸν μεγάλων, μεγαλόψυχια· τοῦτο δὲ εὐέλπιδος. Καὶ μᾶλλον αἱροῦνται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων· τῷ γὰρ ἤθει ζῶσι μᾶλλον, ἢ τῷ λογισμῷ. Ἔστι δὲ ὁ μὲν λογισμὸς τοῦ συμφέροντος, ἡ δ' ἀρετὴ τοῦ καλοῦ. Καὶ φιλόφιλοι, καὶ φιλέταιροι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν, διὰ τὸ χαίρειν τῷ συζῆν, καὶ μήπω πρὸς τὸ συμφέρον κρίνειν μηδὲν, ὥςτε μηδὲ τοὺς φίλους. Καὶ ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι παρὰ τὸ Χιλώνειον· πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσι· φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν, καὶ μισοῦσιν ἄγαν· καὶ τ' ἄλλα πάντα ὁμοίως· οἱ καὶ εἰδέναι πάντα οἴονται, καὶ διϊσχυρίζονται· τοῦτο γὰρ αἴτιόν ἐστι καὶ τοῦ πάντα ἄγαν. Καὶ τὰ ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς ὕβριν, καὶ οὐ κακουργίαν. Καὶ ἐλεητικοὶ, διὰ τὸ πάντας χρηστοὺς καὶ βελτίους ὑπολαμβάνειν· τῇ γὰρ αὐτῶν ἀκακίᾳ τοὺς πέλας μετροῦ-

σιν· ὥςτ' ἀνάξια πάσχειν ὑπολαμβάνουσιν αὐτούς. Καὶ φιλογέλωτες, διὸ καὶ εὐτράπελοι· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστί. Τὸ μὲν οὖν τῶν νέων τοιοῦτον ἦθός ἐστιν.

§. 30.

De moribus senum.

(*Ibid.* c. 13.)

Οἱ δὲ πρεσβύτεροι καὶ παρηκμακότες σχεδὸν ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις τὰ πλεῖστα ἔχουσιν ἤθη. Διὰ γὰρ τὸ πολλὰ ἔτη βεβιωκέναι, καὶ πλείω ἐξηπατῆσθαι, καὶ ἡμαρτηκέναι, καὶ τὰ πλείω φαῦλα εἶναι τῶν πραγμάτων, οὔτε διαβεβαιοῦνται οὐδέν, ἧττόν τε ἄγαν ἅπαντα, ἢ δεῖ. Καὶ οἴονται, ἴσασι δὲ οὐδέν, καὶ ἀμφισβητοῦντες προςτιθέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως, καὶ τάχα· καὶ πάντα λέγουσιν οὕτω, παγίως δὲ οὐδέν. Καὶ κακοήθεις εἰσίν· ἔστι γὰρ κακοήθεια τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπολαμβάνειν ἅπαντα. Ἔτι δὲ καχύποπτοί εἰσι διὰ τὴν ἀπιστίαν, ἄπιστοι δὲ, δι' ἐμπειρίαν. Καὶ οὔτε φιλοῦσι σφόδρα, οὔτε μισοῦσι, διὰ ταῦτα· ἀλλὰ κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην, καὶ φιλοῦσιν, ὡς μισήσοντες, καὶ μισοῦσιν, ὡς φιλήσοντες *). Καὶ μικρόψυχοι, διὰ τὸ τε ταπεινῶσθαι ὑπὸ τοῦ βίου· οὐδενὸς

---

*) Cf. ad hunc locum *Cicero* (*in Laelio* c. XVI. §. 59.): Negabat *Scipio*, ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam ejus, qui dixisset, ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus. Nec vero se adduci posse, ut hoc, quaemadmodum putaretur, a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem, (sed) impuri cujusdam aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam.

γὰρ μεγάλου, οὐδὲ περιττοῦ, ἀλλὰ τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιθυμοῦσιν. Καὶ ἀνελεύθεροι· ἕν γάρ τι τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία· ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν, ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι, καὶ ῥᾴδιον τὸ ἀποβαλεῖν. Καὶ δειλοὶ, καὶ πάντα προφοβητικοί· ἐναντίως γὰρ διάκεινται τοῖς νέοις· κατεψυγμένοι γάρ εἰσι· οἱ δὲ θερμοί. ὥςτε προωδοπεποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ· καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τίς ἐστι. Καὶ φιλόζωοι, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελαιταίᾳ ἡμέρᾳ, διὰ τὸ τοῦ ἀπόντος εἶναι τὴν ἐπιθυμίαν· καὶ οὗ ἐνδεεῖς, τούτου μάλιστα ἐπιθυμοῦσι. Καὶ φιλαίτιοι *) μᾶλλον, ἢ δεῖ· μικροψυχία γάρ τις καὶ αὕτη. Καὶ πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλὸν μᾶλλον, ἢ δεῖ, διὰ τὸ φίλαυτοι εἶναι· τὸ μὲν γὰρ συμφέρον αὐτῷ ἀγαθόν ἐστι, τὸ δὲ καλὸν ἁπλῶς. Καὶ ἀναίσχυντοι μᾶλλον, ἢ αἰσχυντηλοί· διὰ γὰρ τὸ μὴ φροντίζειν ὁμοίως τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος, ὀλιγωσοῦσι τοῦ δοκεῖν. Καὶ δυςέλπιδες, διὰ τὴν ἐμπειρίαν· τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν πραγμάτων φαῦλα ἐστιν· ἀποβαίνει γοῦν τὰ πολλὰ ἐπὶ τὸ χεῖρον· καὶ ἔτι διὰ τὴν δειλίαν. Καὶ ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον, ἢ τῇ ἐλπίδι· τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν λοιπὸν ὀλίγον, τὸ δὲ παρεληλυθὸς πολύ· ἔστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος, ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων. Ὅπερ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς· διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες· ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται. Καὶ οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μὲν εἰσιν, ἀσθενεῖς δὲ· καὶ αἱ ἐπιθυμίαι, αἱ μὲν ἐκλελίπασιν, αἱ δὲ ἀσθενεῖς. ὥςτ' οὔτε ἐπιθυμητικοὶ, οὔτε πρακτικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος· διὸ σωφρονικοὶ φαίνονται οἱ τηλικοῦτοι· αἵ τε γὰρ ἐπιθυμίαι ἀνείκασι,

*) Alii: φίλαυτοι. Utraque lectio probanda videtur; sunt enim senes et φιλαίτιοι et φίλαυτοι.

καὶ δουλεύουσι τῷ κέρδει. Καὶ μᾶλλον ζῶσι κατὰ λογισμὸν, ἢ κατὰ τὸ ἦθος· ὁ μὲν γὰρ λογισμὸς τοῦ συμφέροντος, τὸ δὲ ἦθος τῆς ἀρετῆς ἐστι. Καὶ τὰ ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς κακουργίαν, οὐκ εἰς ὕβριν. Ἐλεητικοὶ δὲ καὶ οἱ γέροντες εἰσι, ἀλλ' οὐ διὰ τ' αὐτὸ τοῖς νέοις· οἱ μὲν γὰρ διὰ φιλανθρωπίαν, οἱ δὲ δι' ἀσθένειαν. πάντα γὰρ οἴονται ἐγγὺς εἶναι αὐτοῖς παθεῖν· τοῦτο δ' ἦν ἐλεητικοῦ *). Ὅθεν ὀδυρτικοί εἰσι, καὶ οὐκ εὐτράπελοι, οὐδὲ φιλογέλοιοι· ἐναντίον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι. Τῶν μὲν οὖν νέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τὰ ἤθη τοιαῦτα. Ὥςτ' ἐπεὶ ἀποδέχονται πάντες τοὺς τῷ σφετέρῳ ἤθει λεγομένους λόγους, καὶ τοὺς ὁμοίους, οὐκ ἄδηλον, πῶς χρώμενοι τοῖς λόγοις, τοιοῦτοι φαίνονται καὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ λόγοι.

§. 31.

De moribus virorum.

(*Ibid.* c. 14.)

Οἱ δὲ ἀκμάζοντες, φανερὸν, ὅτι μεταξὺ τούτων τὸ ἦθος ἔσονται, ἑκατέρων ἀφαιροῦντες τὴν ὑπερβολήν. Καὶ οὔτε σφόδρα θαῤῥοῦντες, θρασύτης γὰρ τὸ τοιοῦτον· οὔτε λίαν φοβούμενοι, καλῶς δὲ πρὸς ἄμφω ἔχοντες. Οὔτε πᾶσι πιστεύοντες, οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀληθὲς κρίνοντες μᾶλλον. Καὶ οὔτε πρὸς τὸ καλὸν ζῶντες μόνον, οὔτε πρὸς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ πρὸς ἄμφω. Καὶ οὔτε πρὸς φειδῶ, οὔτε πρὸς ἀσωτίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἁρμόττον. Ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς θυμὸν, καὶ πρὸς ἐπιθυμίαν· καὶ σώφρονες μετ' ἀνδρείας, καὶ ἀνδρεῖοι μετὰ σωφροσύνης. Ἐν γὰρ τοῖς νέοις καὶ τοῖς γέρουσι διῄρηται ταῦτα·

---

*) Cf. huj. ipsius libri c. 8.

εἰσὶ γὰρ οἱ μὲν νέοι ἀνδρεῖοι καὶ ἀκόλαστοι· οἱ δὲ πρεσβύτεροι σώφρονες καὶ δειλοί. Ὡς δὲ καθόλου εἰπεῖν, ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νέοτης καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν· ὅσα δ' ὑπερβάλλουσι, ἢ ἐλλείπουσι, τούτων τὸ μέτριον καὶ τὸ ἁρμόττον. Ἀκμάζει δὲ τὸ μὲν σῶμα ἀπὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα· ἡ δὲ ψυχὴ περὶ τὰ ἑνὸς δεῖν πεντήκοντα. Περὶ μὲν οὖν νεότητος καὶ γήρως καὶ ἀκμῆς, ποίων ἠθῶν ἐστιν ἕκαστον, εἰρήσθω τοσαῦτα.

§. 32.

De moribus nobilium.

(*Ibid.* c. 15.)

Περὶ δὲ τῶν ἀπὸ τύχης γιγνομένων ἀγαθῶν, δι' ὅσα αὐτῶν καὶ τὰ ἤθη ποῖα ἄττα συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις, λέγωμεν ἐφεξῆς. Εὐγενείας μὲν οὖν ἦθός ἐστι τὸ φιλοτιμώτερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν· πάντες γὰρ, ὅταν ὑπάρχῃ τι, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν. Ἡ δὲ εὐγένεια εὐτιμότης προγόνων ἐστι. Καὶ καταφρονητικὸν καὶ τῶν ὁμοίων τοῖς προγόνοις, τοῖς αὐτῶν· διότι πόῤῥω ταῦτα μᾶλλον, ἢ ἐγγὺς γινόμενα, ἐντιμώτερα καὶ εὐαλαζόνευτα. Ἐστὶ δὲ εὐγενὲς μὲν κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν· γενναῖον δὲ κατὰ τὸ μὴ ἐξίστασθαι ἐκ τῆς φύσεως· ὅπερ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὐ συμβαίνει τοῖς εὐγενέσιν, ἀλλ' εἰσὶν οἱ πολλοὶ εὐτελεῖς. Φορὰ γάρ τίς ἐστιν ἐν τοῖς γενέσιν ἀνδρῶν, ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ τὰς χώρας γινομένοις. καὶ ἐνιότε ἂν ᾖ ἀγαθὸν τὸ γένος, ἐγγίγνονται διά τινος χρόνου ἄνδρες περιττοί· κἄπειτα πάλιν ἀναδίδωσιν. Ἐξίσταται δὲ τὰ μὲν εὐφυᾶ γενὴ εἰς μανικώτερα ἤθη· οἷον οἱ ἀπ' Ἀλκιβιάδου, καὶ οἱ ἀπὸ Διονυ-

σίου τοῦ προτέρου· τὰ δὲ στάσιμα εἰς ἀβελτηρίαν καὶ νωθρότητα· οἷον οἱ ἀπὸ Κίμωνος, καὶ Περικλέους, καὶ Σωκράτους.

§. 33.

De moribus divitum.

(*Ibid.* c. 16.)

Τῷ δὲ πλούτῳ ἃ ἕπεται ἤθη, ἐπιπολῆς ἐστιν ἰδεῖν ἅπασιν· Ὑβρισταὶ γὰρ καὶ ὑπερήφανοι, πάσχοντές τι ὑπὸ τῆς κτήσεως τοῦ πλούτου. Ὥςπερ γὰρ ἔχοντες ἅπαντα τ' ἀγαθὰ, οὕτω διάκεινται. Ὁ γὰρ πλοῦτος, οἷον τιμή τίς ἐστι τῆς ἀξίας τῶν ἄλλων· διὸ φαίνεται πάντα ὤνια εἶναι αὐτοῦ. Καὶ τρυφεροὶ καὶ σαλάκωνες· τρυφεροὶ μὲν διὰ τὴν τροφὴν, καὶ τὴν ἔνδειξιν τῆς εὐδαιμονίας· σαλάκωνες δὲ καὶ σόλοικοι διὰ τὸ πάντας εἰωθέναι διατρίβειν περὶ τὸ ἐρώμενον, καὶ θαυμαζόμενον ὑπ' αὐτῶν, καὶ τὸ οἴεσθαι ζηλοῦν τοὺς ἄλλους, ἃ καὶ αὐτοί. Ἅμα δὲ καὶ εἰκότως τοῦτο πάσχουσι· πολλοὶ γὰρ εἰσὶν οἱ δεόμενοι τῶν ἐχόντων. Ὅθεν καὶ Σιμωνίδου εἴρηται περὶ τῶν σοφῶν καὶ πλουσίων πρὸς τὴν γυναῖκα *) τὴν Ἱέρωνος ἐρομένην· πότερον γενέσθαι κρεῖττον πλούσιον, ἢ σοφόν· πλούσιον εἰπεῖν, τοὺς γὰρ σοφοὺς ὁρᾷν ἐπὶ ταῖς τῶν πλουσίων θύραις, ἔφη, διατρίβοντας. Καὶ τὸ οἴεσθαι, ἀξίους εἶναι ἄρχειν· ἔχειν γὰρ οἴονται, ὧν ἕνεκεν ἄξιον ἄρχειν. Καὶ ὡς ἐν κεφαλαίῳ, ἀνοήτου εὐδαίμονος ἦθους ὁ πλοῦτός ἐστι. Διαφέρει δὲ τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις, καὶ τοῖς πάλαι τὰ ἤθη, τῷ ἅπαντα μᾶλλον καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους· ὥςπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλούτου ἐστὶ, τὸ νεόπλουτον εἶναι. Καὶ ἀδικήματα ἀδικοῦσιν οὐ κακουργικὰ, ἀλλὰ τὰ μὲν ὑβριστικὰ, τὰ δὲ ἀκρατευτικὰ· οἷον εἰς αἰκίαν καὶ μοιχείαν.

§. 34.

De moribus potentium.

(*Ibid.* c. 17.)

Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ δυνάμεως σχεδὸν τὰ πλεῖστα φανερά ἐστιν ἤθη· τὰ μὲν γὰρ τὰ αὐτὰ ἔχει ἡ δύναμις τῷ πλούτῳ, τὰ δὲ βελτίω. Φιλοτιμότεροι γὰρ καὶ ἀνδρωδέστεροί εἰσι τὰ ἤθη οἱ δυνάμενοι τῶν πλουσίων, διὰ τὸ ἐφίεσθαι ἔργων, ὅσα ἐξουσία αὐτοῖς πράττειν διὰ τὴν δύναμιν. Καὶ σπουδαστικώτεροι, διὰ τὸ ἐν ἐπιμελείᾳ εἶναι, ἀναγκαζόμενοι σκοπεῖν τὰ περὶ τὴν δύναμιν. Καὶ σεμνότεροι, ἢ βαρύτεροι· ποιεῖ γὰρ ἐμφανεστέρους τὸ ἀξίωμα, διὸ μετριάζουσιν· ἔστι δὲ ἡ σεμνότης μαλακὴ καὶ εὐσχήμων βαρύτης. Καὶ ἐὰν ἀδικῶσιν, οὐ μικραδικηταί εἰσι, ἀλλὰ μεγαλάδικοι. Ἡ δ' εὐτυχία τὰ μόρια ἔχει τῶν εἰρημένων τὰ ἤθη· εἰς γὰρ ταῦτα συντείνουσιν αἱ μέγισται δοκοῦσαι εἶναι εὐτυχίαι· καὶ ἔτι εἰς εὐτεκνίαν. καὶ τὰ κατὰ τὸ σῶμα ἀγαθὰ παρασκευάζει ἡ εὐτυχία πλεονεκτεῖν. Ὑπερηφανότεροι μὲν οὖν καὶ ἀλογιστότεροι διὰ τὴν εὐτυχίαν εἰσίν. Ἓν δ' ἀκολουθεῖ βέλτιστον ἦθος τῇ εὐτυχίᾳ, ὅτι φιλόθεοί εἰσιν, καὶ ἔχουσι πρὸς τὸ θεῖόν πως, πιστεύοντες, διὰ τὰ γιγνόμενα ἀγαθὰ ἀπὸ τῆς τύχης. Περὶ μὲν οὖν τῶν καθ' ἡλικίαν καὶ τύχην ἠθῶν εἴρηται. Τὰ γὰρ ἐναντία τῶν εἰρημένων ἐκ τῶν ἐναντίων φανερά ἐστιν· οἷον πένητος καὶ ἀτυχοῦς ἦθος, καὶ ἀδυνάτου *).

---

*) Comparandi ad locos Aristotelicos *Horatius* et *Cicero.* Prioris sententiam habes in *ep. ad Pison.*

Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores;
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit, puer, et pede certo

CAPUT III.

De simili, sive comparabili.

§. 35.

Cicero. (De inventione. L. I. c. 30.)

Similitudo in contrariis et paribus et in iis rebus, quae sub eandem cadunt rationem, maxime specta-

---

Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti; monitoribus asper;
Utilium tardus provisor, prodigus aeris;
Sublimis cupidusque; et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias; inseruit honori;
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit et inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri;
Difficilis, quaerulus; laudator temporis acti
Se puero; censor castigatorque minorum.
Mutta ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles:
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis.
(v. 156 seqq.)

— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —

Scribendi recte, sapere est et principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae;
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis;

tur. — — — Comparabile est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Ejus partes

---

Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes;
Quod sit conscripti, quod judicis officium; quae
Partes in bellum missi ducis: ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

(v. 309 seqq.)

Cicoro (de officiis l. I. c. 34.)

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis, mojores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis; ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae; quod erit facilius, si ejusmodi rebus majores natu interesse velint. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur; danda vero opera, ut et amicos, et juventutem, et maxime rempublicam consilio et prudentia quam plurimum adjuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiaeque dedat. Luxuria vero quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est; quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum civium, de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium munus

sunt tres: *imago*, *collatio*, *exemplum* *). Imago est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem; collatio est oratio rem cum re ex similitudine conferens; exemplum est, quod rem auctoritate, aut casu alicujus hominis, aut negotii confirmat aut infirmat.

Quintil. (Inst. or. l. V. c. 11.)

Tertium genus ex iis, quae extrinsecus adducuntur (in causam), Graeci vocant παράδειγμα; quo nomine et generaliter usi sunt in omni similium appositione et specialiter in iis, quae rerum gestarum auctoritate nituntur. Nostri fere *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab aliis παραβολή dicitur; hoc alterum *exemplum*: quamquam et hoc simile est, et illud exemplum. Nos, quo facilius propositum explicemus, utrumque παράδειγμα esse credamus, et ipsi appelle-

---

magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suae commissa meminisse. Privatum autem oportet aequo et pari cum civibus jure vivere, neque submissum et abjectum, neque se efferentem: tum, in republica ea velle, quae tranquilla et honesta sint. Talem enim et sentire bonum civem et dicere solemus. Peregrini autem atque incolae officium est, nihil praeter suum negotium agere, nihil de alieno anquirere, minimeque in aliena esse republica curiosum. Ita fere officia reperientur, quum quaeretur, quid deceat, et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam

*) De exemplo videndus etiam *Aristoteles*. (Rhet. II. c. 20.); licet in explicanda exempli natura inprimis oratorem respiciat.

παραδιδόναι; Phaed. Καὶ οὗτοι ἄν, ὦ Σώκρατες, οἶμαι, καταγελῷεν, εἴτις οἴεται τραγῳδίαν ἄλλό τι εἶναι ἢ τὴν τούτων σύστασιν, πρέπουσαν ἀλλήλοις τε καὶ τῷ ὅλῳ, συνισταμένην. Soc. Ἀλλ' οὐκ ἄν ἀγροίκως γε, οἶμαι λοιδορήσειαν· ἀλλ' ὥςπερ ἂν μουσικὸς ἐντυχὼν ἀνδρὶ οἰομένῳ ἁρμονικῷ εἶναι, ὅτι δὴ τυγχάνει ἐπιστάμενος ὡς οἷόντε ὀξυτάτην καὶ βαρυτάτην χορδὴν ποιεῖν, οὐκ ἀγρίως εἴποι ἄν, Ὦ μοχθηρὲ, μελαγχολᾷς, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν, πρᾳότερον, ὅτι, Ὦ ἄριστε, ἀνάγκη μὲν καὶ ταῦτ' ἐπίστασθαι τὸν μέλλοντα ἁρμονικὸν ἔσεσθαι, οὐδὲν μὴν κωλύει οὐδὲ σμικρὸν ἁρμονίας ἐπαΐειν τὸν τὴν σὴν ἕξιν ἔχοντα. τὰ γὰρ πρὸ ἁρμονίας ἀναγκαῖα μαθήματα ἐπίστασαι, ἀλλ' οὐ τὰ ἁρμονικά. Phaed. Ὀρθότατά γε. Soc. Οὐκοῦν καὶ ὁ Σοφοκλῆς τὸν σφίσιν ἐπιδεικνύμενον τὰ πρὸ τραγῳδίας ἂν φαίη, ἀλλ' οὐ τὰ τραγικά. καὶ ὁ Ἀκουμενὸς, τὰ πρὸ ἰατρικῆς, ἀλλ' οὐ τὰ ἰατρικά. Phaed. Παντάπασι μὲν οὖν. Soc. Τί δέ; τὸν μελίγηρυν Ἄδραστον οἰόμεθα, ἢ καὶ Περικλέα, εἰ ἀκούσειαν ὧν νῦν ἡμεῖς διΐιμεν τῶν παγκάλων τεχνημάτων, βραχυλογιῶν τε καὶ εἰκονολογιῶν, καὶ ὅσα ἄλλα διελθόντες, ὑπ' αὐγὰς ἔφαμεν εἶναι σκεπτέα· πότερον χαλεπῶς ἂν αὐτοὺς, ὥςπερ ἐγώ τε καὶ σὺ, ὑπ' ἀγροικίας, ῥῆμά τι εἰπεῖν ἀπαίδευτον εἰς τοὺς ταῦτα γεγραφότας τε καὶ διδάσκοντας, ὡς ῥητορικὴν τέχνην; ἢ ἅτε ἡμῶν ὄντας σοφωτέρους, κἂν νῶϊν ἐπιπλῆξαι; εἰπόντας, Ὦ Φαῖδρέ τε καὶ Σώκρατες, οὐ χρὴ χαλεπαίνειν, ἀλλὰ συγγιγνώσκειν εἴ τινες μὴ ἐπιστάμενοι διαλέγεσθαι, ἀδύνατοι ἐγένοντο ὁρίσασθαι τί ποτέ ἐστιν ἡ ῥητορική. ἐκ δὲ τούτου τοῦ πάθους, τὰ πρὸ τῆς τέχνης ἀναγκαῖα μαθήματα ἔχοντες, ῥητορικὴν ᾠήθησαν εὑρηκέναι· καὶ ταῦτα δὴ διδάσκοντες ἄλλους, ἡγοῦνται σφίσι τελέως ῥητορικὴν

δεδιδάχθαι· τὸ δὲ ἕκαστα τούτων πιθανῶς λέγειν τε, καὶ τὸ ὅλον συνίστασθαι, οὐδὲν ἔργον αὐτοὺς δεῖν παρ' ἑαυτῶν τοὺς μαθητὰς σφῶν πορίζεσθαι ἐν τοῖς λόγοις. Phaed. Ἀλλὰ μὴν, ὦ Σώκρατες, κινδυνεύει γε τοιοῦτόν τι εἶναι τὸ τῆς τέχνης ἣν οὗτοι οἱ ἄνδρες, ὡς ῥητορικὴν, διδάσκουσί τε καὶ γράφασι· καὶ ἔμοιγε δοκεῖς ἀληθῆ εἰρηκέναι. ἀλλὰ δὴ τὴν τοῦ τῷ ὄντι ῥητορικοῦ τε καὶ πιθανοῦ τέχνην, πῶς καὶ πόθεν ἄν τις δύναιτο πορίσασθαι; Soc. Τὸ μὲν δύνασθαι, ὦ Φαῖδρε, ὥςτε ἀγωνιστὴν τέλεον γενέσθαι, εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἄλλα. εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσῃ ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσῃ. ὅσον δὲ αὐτοῦ τέχνη, οὐχ ᾗ Λυσίας καὶ Θρασύμαχος πορεύεται δοκεῖ μοι φαίνεσθαι ἡ μέθοδος. Phaed. Ἀλλὰ πῇ δή; Soc. Κινδυνεύει, Ὦ ἄριστε, εἰκότως ὁ Περικλῆς πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι. Phaed. Τί δή; Soc. Πᾶσαι ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν, προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι. τὸ γὰρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ τὸ πάντῃ τελεσιουργικὸν ἔοικεν ἐντεῦθεν ποθὲν εἰσιέναι· ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυὴς εἶναι ἐκτήσατο. προσπεσὼν γὰρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς, καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος (ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας) ἐντεῦθεν εἵλκυσιν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ. Phaed. Πῶς τοῦτο λέγεις; Soc. Ὁ αὐτός που τρόπος τέχνης ῥητορικῆς, ὅςπερ καὶ ἰατρικῆς. Phaed. Πῶς δή; Soc. Ἐν ἀμφοτέραις δεῖ διελέσθαι φύσιν, σώματος μὲν, ἐν τῇ ἑτέρᾳ· ψυχῆς δὲ, ἐν τῇ ἑτέρᾳ· εἰ μέλλεις μὴ τριβῇ μόνον καὶ ἐμπειρίᾳ, ἀλλὰ τέχνῃ, τῷ μὲν φάρμακα καὶ τροφὴν

προσφέρων, ὑγίειαν καὶ ῥώμην ἐμποιήσειν· τῇ δὲ, λόγους τε καὶ ἐπιτηδεύσεις νομίμους, πειθὼ ἣν ἂν βούλῃ καὶ ἀρετὴν παραδώσειν. Phaed. Τὸ γοῦν εἰκὸς, ὦ Σώκρατες, οὕτω. Soc. Ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίως λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως; Phaed. Εἰ μὲν Ἱπποκράτει τε τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πείθεσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης. Soc. Καλῶς γὰρ, ὦ ἑταῖρε, λέγει. χρὴ μέντοι, πρὸς τῷ Ἱπποκράτει τὸν λόγον ἐξετάζοντα, σκοπεῖν εἰ συμφονεῖ. Phaed. Φημί. Soc. Τὸ τοίνυν περὶ φύσεως σκόπει τί ποτε λέγει Ἱπποκράτης τε καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος. ἆρ' οὐχ ὧδε χρὴ διανοεῖσθαι περὶ ὁτουοῦν φύσεως; πρῶτον μὲν, ἁπλοῦν ἢ πολυειδές ἐστιν, οὗ πέρι βουλησόμεθα εἶναι αὐτοὶ τεχνικοὶ, καὶ ἄλλους δυνατοὶ ποιεῖν, ἔπειτα δὲ, ἐὰν μὲν ἁπλοῦν ᾖ, σκοπεῖν τὴν δύναμιν αὐτοῦ, τίνα πρός τι πέφυκεν εἰς τὸ δρᾷν ἔχον, ἢ τίνα εἰς τὸ παθεῖν ὑπό του; ἐὰν δὲ πλείω εἴδη ἔχῃ, ταῦτα ἀριθμησάμενος, ὅπερ ἐφ' ἑνὸς, τοῦτ' ἰδεῖν ἐφ' ἑκάστου, τὸ, τί ποιεῖν αὐτὸ πέφυκεν, ἢ τὸ τί παθεῖν ὑπὸ τοῦ; Phaed. Κινδυνεύει, ὦ Σώκρατες. Soc. Ἡ γοῦν ἄνευ τούτων μέθοδος ἐοίκοι ἂν ὥςπερ τυφλοῦ πορείᾳ. ἀλλ' οὐ μὴν ἀπεικαστέον τόν γε τέχνῃ μετιόντα ὁτιοῦν τυφλῷ οὐδὲ κωφῷ. ἀλλὰ δῆλον ὡς ἄν τῳ τὶς τέχνῃ λόγους διδῷ, τὴν οὐσίαν δείξει ἀκριβῶς τῆς φύσεως τούτου πρὸς ὃ τοὺς λόγους προσοίσει. ἔσται δέ που ψυχὴ τοῦτο. Phaed. Τί μήν; Soc. Οὐκοῦν ἡ ἅμιλλα αὐτῷ τέταται πρὸς τοῦτο πᾶσα; πειθὼ γὰρ ἐν τούτῳ ποιεῖν ἐπιχειρεῖ. ἢ γάρ; Phaed. Ναί. Soc. Δῆλον ἄρα ὅτι ὁ Θρασύμαχός τε καὶ ὃς ἂν ἄλλος σπουδῇ τέχνην ῥητορικὴν διδῷ, πρῶτον πάσῃ ἀκριβείᾳ γράψει τε καὶ ποίησει ψυχὴν ἰδεῖν πότερον ἓν καὶ ὅμοιον πέφυκεν ἢ κατὰ σώματος μορφὴν πολυειδές. τοῦτο

γὰρ φαμὲν φύσιν εἶναι δεικνύναι. Phaed. Παντάπασι μὲν οὖν. Soc. Δεύτερον δέ γε, ὅ τῳ τὶ ποιεῖν ἢ παθεῖν ὑπό του πέφυκε. Phaed. Τί μήν. Soc. Τρίτον δὲ δὴ, διαταξάμενος τὰ λόγων τε καὶ ψυχῆς γένη, καὶ τὰ τούτων παθήματα, δίεισι πάσας αἰτίας, προσαρμόττων ἕκαστον ἑκάστῳ, καὶ διδάσκων οἵα οὖσα ὑφ' οἵων λόγων, δι' ἣν αἰτίαν, ἐξ ἀνάγκης ἡ μὲν πείθεται, ἡ δε ἀπειθεῖ. Phaed. Κάλλιστα γοῦν ἄν, ὡς ἔοικ', ἔχοι οὕτως. Soc. Οὔ τοι μὲν οὖν, ὦ φίλε, ἄλλως, ἐνδεικνύμενον ἢ λεγόμενον, τέχνῃ ποτὲ γραφήσεται ἢ λεχθήσεται οὔτε τι ἄλλο, οὔτε τοῦτο, ἀλλ' οἱ νῦν γράφοντες, ὧν σὺ ἀκήκοας, τέχνας λόγων, πανοῦργοί εἰσι καὶ ἀποκρύπτονται, εἰδότες ψυχῆς πέρι παγκάλως. πρὶν ἂν οὖν τὸν τρόπον τοῦτον λέγωσί τε καὶ γράφωσι, μὴ πειθώμεθ' αὐτοῖς τέχνῃ γράφειν. Phaed. Τίνα τοῦτον; Soc. Αὐτὰ μὲν τὰ ῥήματα εἰπεῖν οὐκ εὐπετές· ὡς δὲ δεῖ γράφειν, εἰ μέλλει τεχνικῶς ἔχειν καθόσον ἐνδέχεται, λέγειν ἐθέλω. Phaed. Λέγε δή. Soc. Ἐπειδὴ λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα, τὸν μέλλοντα ῥητορικὸν ἔσεσθαι ἀνάγκη εἰδέναι ψυχὴ ὅσα εἴδη ἔχει. ἔστιν οὖν τόσα καὶ τόσα, καὶ τοῖα καὶ τοῖα· ὅθεν οἱ μὲν, τοιοίδε, οἱ δὲ, τοιοῖδε γίγνονται. τούτων δὲ οὕτω διῃρημένων, λόγων αὖ τόσα καὶ τόσα ἐστὶν εἴδη, τοιόνδε ἕκαστον. οἱ μὲν οὖν τοιοῖδε, ὑπὸ τῶν τοιῶνδε λόγων δία τήν δε τὴν αἰτίαν εἰς τὰ τοιάδε εὐπειθεῖς· οἱ δὲ τοιοῖδε, διά τά δὲ δυσπειθεῖς. δεῖ δὴ, ταῦτα ἱκανῶς νοήσαντα, μετὰ ταῦτα θεώμενον αὐτὰ ἐν ταῖς πράξεσιν ὄντα τε καὶ πραττόμενα, ὀξέως τῇ αἰσθήσει δύνασθαι ἐπακολουθεῖν· ἢ μηδὲ εἰδέναι πω πλέον αὐτῶν ὧν τότε ἤκουε λόγων ξυνών. ὅταν δὲ εἰπεῖν τε ἱκανῶς ἔχῃ, οἷος ὑφ' οἵων πείθεται, παραγινόμενόν τε δυνατὸς ᾖ διαισθανόμενος, ἑαυτῷ ἐνδείκνυσθαι ὅτι

οὗτός ἐστι καὶ αὕτη ἡ φύσις περὶ ἧς τότε ἦσαν οἱ λόγοι, νῦν ἔργῳ παροῦσα, ᾗ προσοιστέον τούσδε ὧδε τοὺς λόγους, ἐπὶ τὴν τῶνδε πειθώ. ταῦτα δὴ ἤδη πάντα ἔχοντι, προσλαβόντι καιροὺς τοῦ πότε λεκτέον καὶ ἐπισχετέον βραχυλογίας τε αὖ καὶ ἐλεεινολογίας καὶ δεινώσεως, ἑκάστων τε ὅς ἂν εἴδη μάθῃ λόγων, τούτων τὴν εὐκαιρίαν τε καὶ ἀκαιρίαν διαγνόντι, καλῶς τε καὶ τελέως ἐστὶν ἡ τέχνη ἀπειργασμένη, πρότερον δ' οὔ· ἀλλ' ὅ,τι ἂν τις αὐτῶν ἐλλείπῃ λέγων, ἢ διδάσκων, ἢ γράφων, φῇ δὲ τέχνῃ λέγειν, ὁ μὴ πειθόμενος κρατεῖ. τί δὴ οὖν; (φήσει ἴσως ὁ συγγραφεὺς) ὦ Φαῖδρέ τε καὶ Σώκρατες, δοκεῖ οὕτως ἢ ἄλλως πως ἀποδεικτέον λεγομένης λόγων τέχνης; Phaed. Ἀδύνατόν που, ὦ Σώκρατες, ἄλλως; καίτοι οὐ σμικρόν γε φαίνεται ἔργον. Soc. Ἀληθῆ λέγεις. τούτου τοι εἵνεκα χρὴ, πάντας τοὺς λόγους ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφοντα, ἐπισκοπεῖν εἴτις πῃ ῥᾴων καὶ βραχυτέρα φαίνεται ἐπ' αὐτὴν ὁδός. ἵνα μὴ μάτην πολλὴν ἀπίῃ καὶ τραχεῖαν, ἐξὸν ὀλίγην τε καὶ λείαν. (Ibid. p. 366 seqq.)

§. 51.

Aristoteles. (Rhet. l. I.)

Ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ Διαλεκτικῇ. ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμη ἀφορισμένης. διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσι ἀμφοῖν· πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσι. Τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῇ δ' ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον, ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν. δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ

συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται· τὸ δὲ τοιοῦτον πάντες ἤδη ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι (c. 1.)

Ἔστω δ' ἡ Ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐν δεχόμενον πιθανόν *). Τοῦτο γὰρ οὐδεμιαῖ ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον· τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πιστική. οἷον Ἰατρικὴ περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερὸν· καὶ Γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι· καὶ Ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμόν· ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν. ἡ δὲ Ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν· διὸ καὶ φαμὲν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν (Ibid. c. 2.)

§. 53.

Quintilianus. (Inst. orat. l. II.)

Transeamus ad eam quaestionem, quae sequitur, an *rhetorice ars sit.* Quod quidem adeo ex iis, qui

---

*) Artem rhetoricam esse facultatem praecipue persuadendi (πειθοῦς δημιουργὸν, ut Plato eam in Gorgia appellat) Sophistae quoque docuerunt; quorum quidem doctrinam *Plato* in ipso Gorgia refellendam sibi proposuit. — *Aristotelis* vestigiis insistit *Cicero*, qui (de invent. l. I. c. 5.) scribit: «Officium autem ejus facultatis (scilic. *oratoriae*) videtur esse, dicere adposite ad persuasionem; finis, persuadere dictione.» — Idem *Cic.* pluribus adhuc locis habet, v. g. De or. I, 31. Acad. Quaest. I, 8. — — Censuram hujus definitionis legas apud *Quintilianum* (Inst. or l. II. c. 15.), qui quidem (*ibid.* c. 16. et l. III. c. 3.) artem rhetoricam *bene dicendi scientiam* vocat. — Ceterum ista rhetorices definitio a suis auctoribus proprie ad artem *oratoriam* sensu strictiori refertur.

praecepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos *de arte rhetorica*, Cicero vero etiam, quae *rhetorice* vocetur, esse *artificiosam eloquentiam* dicat *). Quod non oratores tantum vindicarunt, ut studiis aliquid suis praestitisse videantur; sed cum his philosophi, et Stoici et Peripatetici plerique, consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quaestionis tractandam putarem; nam quis est adeo, non ab eruditione modo, sed a sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem, et texendi, et e luto vasa ducendi *artem* putet; *rhetoricen* autem, maximum ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet *sine arte* venisse? Equidem illos, qui contra disputarunt, non tam sensisse, quod dicerent, quam exercere ingenia materiae difficultate credo voluisse: sicut Polycratem **), quum Busirim laudaret, et Clytaemnestram: quanquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem, quae est habita contra Socratem, dicitur.

Quidam naturalem esse rhetoricen volunt, et tamen adjuvari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius, *observationem quandam esse, non artem* ***). Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est positum; sed ut Antonii persona servetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias videtur. Cujus sententiae talis defensio est, quod indocti, et barbari,

---

*) De invent. I. c. 5.

**) De Polycrate hoc vid. *Arist.* Rhet. l. II. c. 24. Praecipue autem *Dion. Hal.* In Isaeo Vol. V. p. 627. ed. W.

***) *Cicer.* De or. I. c. 20.

et servi, pro se quum loquuntur, aliquid dicant *simile principio, narrent, probent, refutent,* et (quod vim habeat epilogi) *deprecentur.* Deinde adjiciunt illas verborum cavillationes, *nihil, quod ex arte fiat, ante artem fuisse:* atqui dixisse homines pro se et in alios semper: doctores artis, sero jam, et circa Tisiam et Coraca primum, repertos; orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porro, quando coeperit hujus rei doctrina, non laboramus: quanquam apud Homerum, et praeceptorem Phoenicem tum agendi, tum etiam loquendi, et oratores plures, et omne in tribus ducibus orationis genus, et certamina quoque proposita eloquentiae inter juvenes, invenimus: *) quin in caelatura clipei Achillis et lites sunt et actores. Illud admonere satis est, *omnia, quae ars consummaverit, a natura initia duxisse.* Aut *medicina,* quae ex observatione salubrium, atque contrariorum, reperta est, et, ut quibusdam placet, tota constat experimentis: nam et vulnus deligavit aliquis, antequam haec ars esset; et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coegerat, mitigavit. Nec *fabrica* sit ars; casas enim primi ilii sine arte fecerunt: nec musica; cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita si *rhetorice* vocari debet sermo quicunque, fuisse eam, antequam esset ars, confitebor; si vero non, quisquis loquitur, orator est, et tum non tanquam oratores loquebantur, necesse est, oratorem factum arte, nec ante artem fuisse, fateantur. (c. 17.)

---

*) Il. XV. 284.

Scio, quaeri etiam, *natura*ne plus ad eloquentiam conferat, an *doctrina*. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: neque enim consummatus orator nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quaestionem velimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque majus adhuc naturae credam esse momentum; consummatos autem plus doctrinae debere, quam naturae, putabo: sicut terrae, nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit; e terra uberi utile aliquid, etiam nullo colente, nascetur; at in solo fecundo plus cultor, quam ipsa per se bonitas soli, efficiet. Et, si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor mallem rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. Denique natura materia doctrinae est: haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia: materiae etiam sine arte pretium est; ars summa materia optima melior. (c. 19.)

Illa quaestio est major, ex mediis artibus, quae neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus, secundum mores utentium, fiunt, habenda sit rhetorice; an sit, ut compluribus etiam philosophorum placet, virtus. Equidem illud, quod in studiis docendi plerique exercuerunt et exercent, aut *nullam artem*, quae *ἀτεχνία* nominatur, puto (multos enim video, sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes); aut *malam quasi artem*, quam *κακοτεχνίαν* dicimus. Nam et

fuisse multos, et esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem converterint. Ματαιοτεχνία quoque est quaedam, id est supervacua artis imitatio, quae nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem, qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa, in acum continuo et sine frustratione inserebat: quem quum spectasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modio: quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum. His ego comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, aetatem multo studio ac labore consumunt.

Verum haec, quam instituere conamur, et cujus imaginem animo concepimus, quae bono viro convenit, quaeque est vera rhetorice, virtus erit. Quod philosophi quidem multis et acutis conclusionibus colligunt: mihi vero etiam planiore hac, proprieque nostra, probatione videtur esse perspicuum.

Ab illis haec dicuntur. Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quae pars ejus *prudentia* vocatur, eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et, si virtutes sunt, ad quas nobis, etiam ante quam doceremur, initia quaedam ac semina sunt concessa natura, ut ad justitiam, cujus rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certe sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro nobis, etiamsi non perfecte, tamen ut inessent quaedam (ut dixi) semina ejus facultatis, manifestum est. Non eadem autem iis natura artibus est, quae a virtute sunt remotae. Itaque quum duo sint genera orationis, altera *perpetua*, quae *rhetorice* dicitur, altera *concisa*, quae *dialectice*; quas quidem Zeno adeo conjunxit, ut hanc compressae in pugnum

manus, illam explicitae diceret similem: etiam disputatrix virtus erit; adeo de hac, quae speciosior atque apertior tanto est, nihil dubitabitur.

Sed plenius hoc idem atque apertius intueri ex ipsis operibus volo. Nam quid orator in *laudando* faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut in *suadendo*, nisi utilitate perspecta? aut in *judiciis*, si justitiae sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem, quum saepe contra turbulentas populi minas, saepe cum periculosa potentium offensa, nonnunquam, ut in judicio Miloniano, inter circumfusa militum arma dicendum sit: ut, si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. Quodsi ea in quoque animalium est virtus, qua praestat cetera vel pleraque, ut in leone impetus, in equo velocitas; hominem porro ratione atque oratione excellere ceteris certum est: cur non tam in eloquentia, quam in ratione virtutem ejus esse credamus? Recteque hoc apud Ciceronem disserit Crassus: *Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus;* et ipse Cicero in sua persona, quum ad Brutum in epistolis, tum aliis etiam locis, virtutem eam appellat *).

At prooemium aliquando et narrationem dicit malus homo, et argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam et latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo: et tormenta sine gemitu feret malus servus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. Multa fiunt eadem, sed aliter. Sufficiant

*) Cf. *Cicer.* De or. l. III. c. 14. Part. orat. c. 23. Locus in epp. ad Brutum, de quo Noster loquitur, frustra adhuc quaesitus est.

igitur haec, quia de utilitate supra tractavimus. (c. 20.)

Materiam rhetorices quidam dixerunt esse *orationem:* qua in sententia ponitur apud Platonem Gorgias *). Quae si ita accipitur, ut sermo quacunque de re compositus dicatur *oratio*, non materia, sed opus est: ut statuarii statua; nam et oratio efficitur arte, sicut statua. Sin hac appellatione verba ipsa significari putamus, nihil haec sine rerum substantia faciunt. Quidam *argumenta persuasibilia:* quae et ipsa in parte sunt operis, et arte fiunt, et materia egent. Quidam *civiles quaestiones;* quorum opinio non qualitate, sed modo erravit; est enim haec materia rhetorices, sed non sola. Quidam, quia virtus sit rhetorice, materiam ejus *totam vitam* vocant. Alii, quia non omnium virtutum materia sit tota vita, sed pleraeque earum versentur in partibus (sicut *justitia*, *fortitudo*, *continentia*, propriis officiis et suo fine intelliguntur), rhetoricen quoque dicunt in una aliqua parte ponendam: eique locum in ethice *negotialem* assignant, id est, *πραγματικόν*.

Ego, (neque id sine auctoribus) materiam esse rhetorices judico, *omnes res, quaecunque ei ad dicendum subjectae erunt.* Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiae videtur, *non in verbis esse materiam, sed in rebus* **). Et in Phaedro palam, non in judiciis modo et concionibus, sed in rebus etiam privatis ac domesticis, rhetoricen esse, demonstrat ***). Quo

*) *Plat.* Gorg. p. 10. ed. Bip. Ἴθι δή μοι ἀπόκριναι οὕτως καὶ περὶ τῆς ῥητορικῆς, περὶ τί τῶν ὄντων ἐστὶν ἐπιστήμη. *Gorg.* Περὶ λόγους.

**) Noster ad *Platonis* Gorg. p. 19. alludere videtur.

***) *Pl.* in Phaedr. p. 352.

manifestum est, hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat res, quae subjectae sunt ei, sed certas demum putat esse subjectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis: *Quanquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quaecunque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.* Atque adhuc alibi: *Verum enim oratori, quae sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materia) omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent* *).

Hanc autem, quam nos *materiam* vocamus, id est, res subjectas, quidam modo infinitam, modo non propriam rethorices esse dixerunt: eamque artem *circumcurrentem* vocaverunt, quod in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. (c. 21.)

CAPUT II.

De elocutione rhetorica s. prosaica in genere.

§. 54.

Dionys. Halicarn. (De comp. verbor.)

Πᾶσα λέξις ἡ δίχα μέτρου ἐγκειμένη, ποιητικὴν μοῦσαν, ἢ μελικὴν χάριν, οὐ δύναται προσλαβεῖν, κατὰ γοῦν τὴν σύνθεσιν αὐτήν· ἐπεὶ καὶ ἡ ἐκλογὴ τῶν ὀνομάτων μέγα τι δύναται, καὶ ἔστι τις ὀνομασία ποιη-

*) Cf. *Cicer.* De or. I. c. 15. I. c. 6. III. c. 14. et de Invent. I. c. 5.

τικὴ, γλωττηματικῶν τε καὶ ξένων καὶ τροπικῶν καὶ πεποιημένων, οἷς ἡδύνεται ποίησις, εἰς κόρον ἐγκαταμιγέντων τῇ ἀμέτρῳ λέξει. ὃ ποιοῦσιν ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ οὐχ ἥκιστα Πλάτων. οὐ δὲ λέγω περὶ τῆς ἐκλογῆς· ἀλλ' ἀφείσθω κατὰ τὸ παρὸν ἡ περὶ ταῦτα σκέψις· περὶ τῆς συνθέσεως αὐτῆς ἔστω ἡ θεωρία, τῆς ἐν τοῖς κοινοῖς ὀνόμασι καὶ τετριμμένοις καὶ ἥκιστα ποιητικοῖς τὰς ποιητικὰς χάριτας ἐπιδεικνυμένης. ὅπερ οὖν ἔφην, οὐ δύναται ψιλὴ λέξις ὁμοία γενέσθαι τῇ ἐμμέτρῳ καὶ ἐμμελεῖ, ἐὰν μὴ περιέχῃ μέτρα καὶ ῥυθμούς τινας ἐγκαταμεμιγμένους ἀδήλως. οὐ μέντοι προσήκει γ' ἔμμετρον, οὐδ' ἔρρυθμον, αὐτὴν εἶναι δοκεῖν· ποίημα γὰρ οὕτως ἔσται καὶ μέλος, ἐκβήσεταί τε ἁπλῶς τὸν αὐτῆς χαρακτῆρα· ἀλλ' εὔρυθμον αὐτὴν ἀπόχρη καὶ εὔμετρον φαίνεσθαι μόνον. οὕτω γὰρ ἂν εἴη ποιητικὴ μὲν, οὐ μὴν ποίημά γε· καὶ ἐμμελὴς μὲν, οὐ μέλος δέ.

Τίς δ' ἐστὶν ἡ τούτων διαφορὰ, πάνυ ῥᾴδιον ἰδεῖν. ἡ μὲν ὅμοια παραλαμβάνουσα μέτρα, καὶ τεταγμένους σῴζουσα ῥυθμοὺς, κατὰ στίχον, ἢ περίοδον, ἢ στροφὴν, διὰ τῶν αὐτῶν σχημάτων περαινομένη, κἄπειτα πάλιν τοῖς αὐτοῖς ῥυθμοῖς καὶ μέτροις ἐπὶ τῶν ἑξῆς στίχων, ἢ περιόδων, ἢ στροφῶν, χρωμένη, καὶ τοῦτο μέχρι πολλοῦ ποιοῦσα, ἔρρυθμός ἐστι καὶ ἔμμετρος, καὶ ὀνόματα κεῖται τῇ τοιαύτῃ λέξει μέτρον καὶ μέλος· ἡ δὲ πεπλανημένα μέτρα καὶ ἀτάκτους ῥυθμοὺς ἐμπεριλαμβάνουσα, καὶ μήτ' ἀκολουθίαν ἐμφαίνουσα αὐτῶν, μήτε ὁμοζυγίαν, μήτ' ἀντιστροφὴν, εὔρυθμος μέν ἐστιν, ἐπειδὴ οὐχὶ τοῖς αὐτοῖς, οὐδὲ κατὰ τὸ αὐτό. (Pag. 195.) — — Καὶ ἔστι λέξις κρατίστη πασῶν, ἥτις ἂν ἔχοι πλείστας ἀναπαύλας τε καὶ μεταβολὰς ἁρμονίας, ὅτα τουτὶ μὲν ἐν περιόδῳ λέγηται, τουτὶ δ' ἔξω περιόδου· καὶ ἥδε μὲν ἡ περίοδος ἐκ

πλειόνων πλέκηται κώλων, ἤδε δ' ἐξ ἐλαττόνων· αὐτῶν δὲ τῶν κώλων τὸ μὲν βραχύτερον ᾖ, τὸ δὲ μακρότερον· καὶ τὸ μὲν αὐτῶν γοργότερον, τὸ δὲ βραδύτερον, τὸ δὲ ἀκριβέστερον· ῥυθμοί τ' ἄλλοι καὶ σχήματα παντοῖα, καὶ τάσεις φωνῆς αἱ καλούμεναι προσῳδίαι διάφοροι, κλέπτουσαι τῇ ποικιλίᾳ τὸν κόρον. ἔχει δέ τινα χάριν ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τὸ οὕτω συγκείμενον, ὥςτη μὴ συγκεῖσθαι δοκεῖν. (Ibid. p. 133.)

§. 55.

Demetr. Phal. (De elocutione).

Ὥςπερ ἡ ποίησις διαιρῆται τοῖς μέτροις· οἷς ἡμιμέτροις, ἢ ἑξαμέτροις, ἢ τοῖς ἄλλοις· οὕτω καὶ τὴν ἑρμηνείαν τὴν λογικὴν διαιρεῖ καὶ διακρίνει τὰ καλούμενα κῶλα, καθάπερ ἀναπαύοντα τὸν λόγον, τά τε καταλεγόμενα αὐτὰ, καὶ ἐν πολλοῖς ὅμοις ὁρίζοντα τὸν λόγον· ἐπείτοι μακρὸς ἂν εἴη καὶ ἄπειρος, καὶ ἀτεχνῶς πνίγων τὸν λέγοντα. (Sect. I.) — —

Βούλεται μέντοι διάνοιαν ἀφορίζειν τὰ κῶλα ταῦτα· ποτὲ μὴν ὅλην διάνοιαν, οἷς ὡς Ἑκαταῖός φησιν ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς ἱστορίας· Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μύθεται· συνείληπται γὰρ διάνοια τῷ κόλῳ ὅλῳ ὅλη, καὶ ἄμφω συγκαταλέγουσιν· ἐνίοτε μέντοι τὸ κῶλον ὅλην μὲν οὐ συμπραιοῖ διάνοιαν· μέρος δὲ ὅλης ὅλον. ὡς γὰρ τῆς χειρὸς οὔσης ὅλον τινός, μέρη αὐτῆς ὅλα ὅλης ἐστιν· οἷς, δάκτυλοι καὶ πήχεις· ἰδίαν γὰρ περιγραφὴν ἔχει τούτων τῶν μερῶν ἕκαστον, καὶ ἴδια μέρη· οὕτω καὶ διανοίας τινός ὅλης οὔσης μεγάλης, ἐμπεριλαμβάνοιτ' ἂν μέρη τινὰ αὐτῆς, ὁλόκληρα ὄντα καὶ αὐτά. (Sect. II.) — — — — Δεῖ δὲ οὔτε πάνυ μακρὰ ποιεῖν τὰ κῶλα· ἐπείτοι γίνεται ἄμετρος ἡ σύνθεσις, ἢ δυσπαρακολούθητος· οὐδὲ

γὰρ ἡ ποιητικὴ ὑπὲρ ἑξάμετρον ἦλθεν, εἰ μήπου ἐν ὀλίγοις. γελοῖον γὰρ τὸ μέτρον ἄμετρον εἶναι, καὶ καταλήγοντος τοῦ μέτρου ἐπιλελῆσθαι ἡμᾶς, ἢ ὅτε ἤρξατο. οὔτε δὲ τὸ μῆκος τῶν κώλων πρέπον τοῖς λόγοις διὰ τὴν ἀμετρίαν· οὔτε ἡ μικρότης, ἐπείτοι γίνοιτ' ἂν ἡ λεγομένη ξηρὰ σύνθεσις. οἷον ἡ τοιάδε, Ὁ βίος βραχὺς, ἡ τέχνη μακρὰ, ὁ καιρὸς ὀξύς. κατακεκομμένη γὰρ ἔοικεν ἡ σύνθεσις καὶ κεκερματισμένη, καὶ εὐκαταφρόνητος, διὰ τὸ μικρὰ σύμπαντα ἔχειν. (Sect. IV.) — — — — — — — — —

Τῶν δὲ μικρῶν κώλων κἂν δεινότητι χρῆσις ἐστι· δεινότερον γὰρ τὸ ἐν ὀλίγῳ πολὺ ἐμφαινόμενον καὶ σφοδρότερον, διὰ καὶ οἱ Λάκωνες βραχύλογοι ὑπὸ δεινότητος· καὶ τὸ μὲν ἐπιτάσσειν σύντομον καὶ βραχὺ, καὶ πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος· τὸ δὲ ἱκετεύειν μακρὸν, καὶ τὸ ὀδύρεσθαι. αἱ λιταὶ, καθ' Ὅμηρον, καὶ χωλαὶ δὲ ῥυσσαὶ ὑπὸ βραδυτῆτος, τουτέστιν ὑπὸ μακρολογίας· καὶ οἱ γέροντες μακρολόγοι διὰ τὴν ἀσθένειαν. (Sect. VII.) — — — — — —

Ἡ δὲ τοιαύτη βραχύτης κατὰ τὴν σύνθεσιν, κόμμα ὀνομάζεται· ὁρίζονται δ' αὐτὸ ὧδε· Κόμμα ἐστὶ τὸ κῶλον ἔλαττον· οἷον τὸ προειρημένον, τὸ, τε Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, καὶ τὸ Γνῶθι σεαυτὸν, καὶ τὸ Ἕπου Θεῷ, τὰ τῶν σοφῶν. ἔστι γὰρ καὶ ἀποφθεγματικὸν ἡ βραχύτης, καὶ γνωμολογικὸν, καὶ σοφώτερον τὸ ἐν ὀλίγῳ πολλὴν διάνοιαν ἠθροῖσθαι· καθάπερ ἐν τοῖς σπέρμασι δένδρων ὅλων δυνάμεις. εἰ δὲ ἐκτείνοιτό τις τὴν γνώμην ἐν μακροῖς, διδασκαλία γίνεταί τις καὶ ῥητορία ἀντὶ γνώμης. (Sect. IX.) — — —

Τῶν μέν τοι κώλων καὶ κομμάτων τοιούτων συντιθεμένων πρὸς ἄλληλα, συνίστανται αἱ περίοδοι ὀνομαζόμεναι. ἔστι γὰρ περίοδος σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων εὐκαταστρόφων, πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν

ὑποκειμένην ἀπηρτισμένον· οἷον, Μάλιστα μὲν εἵνεκα τοῦ νομίζειν συμφέρειν τῇ πόλει λελύσθαι τὸν νόμον, εἶτα καὶ τοῦ παιδὸς εἵνεκα τοῦ Χαβρίου, ὡμολόγησα τούτοις, ὡς ἂν οἷός τε ὦ, συνερεῖν. αὕτη γὰρ ἡ περίοδος ἐκ τριῶν κώλων οὖσα, καμπήν τέ τινα καὶ συστροφὴν ἔχει κατὰ τὸ τέλος. (Sect. X.) — — — —

Ἀριστοτέλης δὲ ὁρίζεται τὴν περίοδον οὕτως· περίοδός ἐστι λέξις ἀρχὴν ἔχουσα καὶ τελευτὴν, μάλα καλῶς καὶ πρεπόντως ὁρισάμενος· εὐθὺς γὰρ ὁ τὴν περίοδον λέγων, ἐμφαίνει ὅτι ἦρκταί ποθεν, καὶ ἀποτελευτῆσαι ποιεῖ, καὶ ἐπείγεται εἴς τι τέλος. ὥςπερ οἱ δρομεῖς ἀφεθέντες· καὶ γὰρ ἐκείνων συνεμφαίνεται τῇ ἀρχῇ τοῦ δρόμου τὸ τέλος. ἔνθεν καὶ περίοδος ὠνομάσθη, ἀπεικασθεῖσα ταῖς ὁδοῖς ταῖς κυκλοειδέσι καὶ περιωδουμέναις. καθόλον γὰρ οὐδὲν ἡ περίοδός ἐστι, πλὴν ποιὰ σύνθεσις. εἰ γοῦν λυθείη αὐτῆς τὸ περιωδευμένον καὶ μετασυντεθείη, τὰ μὲν πράγματα μενεῖ τὰ αὐτὰ, περίοδος δὲ οὐκ ἔσται· οἷον εἰ τὴν προειρημένην τις τοῦ Δημοσθένους περίοδον ἀνατρέψας εἴποι ὧδέ πως, Συνερῶ τούτο,, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φίλος γάρ μοί ἐστιν ὁ υἱὸς Χαβρίου, πολὺ δὲ μᾶλον τούτου ἡ πόλις, ᾗ συνειπεῖν με δίκαιόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἔτι οὐδαμοῦ ἡ περίοδος εὑρίσκεται. (Sect. XI.) — —

Τῶν δὲ περιόδων αἱ μικρότεραι μὲν ἐκ δυοῖν κώλοιν συντίθενται· αἱ μέγισται δὲ ἐκ τεττάρων. τὸ δ' ὑπὲρ τέσσαρα, οὐκ ἔτ' ἂν ἐντός εἴη περιοδικῆς συμμετρίας. (Sect. XVI.) — — — — — — — — —

Τρία δὲ γένη περιόδων ἐστίν, ἱστορικὴ, διαλογικὴ, ῥητορική· ἱστορικὴ μὲν ἡ μήτε περιηγμένη, μήτ' ἀνειμένε σφόδρα, ἀλλὰ μεταξὺ ἀμφοῖν· ὡς μήτε ῥητορίκη δόξειεν καὶ ἀπίθανος διὰ τὴν περιαγωγὴν, τὸ σεμνόν τε ἔχουσα καὶ ἱστορικὸν ἐκ τοῦ ἁπλότητος· οἷον ἡ τοιάδε, Δαρείου καὶ Παρυσάτιδος γίνονται, μέχρι

τοῦ, Νεώτερος δὲ Κῦρος. ἑδραίᾳ γάρ τινι καὶ ἀσφαλεῖ καταλέξει ἔοικεν αὐτῆς ἡ ἀπόθεσις. (Sect. XIX.) — Τῆς δὲ ῥητορικῆς περιόδου συνεστραμμένον τὸ εἶδος καὶ κυκλικόν, καὶ δεόμενον στρογγύλου στόματος, καὶ χειρὸς συμπεριαγομένης τῷ ῥυθμῷ· οἷον τε, Μάλιστα μὲν εἵνεκα τοῦ νομίζειν συμφέρειν τῇ πόλει λελύσθαι τὸν νόμον, εἶτα καὶ τοῦ παιδὸς εἵνεκα τοῦ Χαβρίου, ὡμολόγησα τούτοις, ὡς ἂν οἷός τε ὦ, συνερεῖν. σχεδὸν γὰρ εὐθὺς ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡ περίοδος ἡ τοιάδε συνεστραμμένον τι ἔχει, καὶ ἐμφαῖνον ὅτι οὐκ ἂν ἀπολήξειεν εἰς ἁπλοῦν τέλος. (Sect. XX.) — — Διαλογικὴ δὲ ἔστιν ἡ περίοδος, ἡ ἔτι ἀνειμένη καὶ ἁπλουστέρα τῆς ἱστορικῆς, καὶ μόλις ἐμφαίνουσα ὅτι περίοδός ἐστιν· ὥςπερ ἡ τοιάδε, Κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραῖα, μέχρι τοῦ, Ἅτε νῦν πρῶτον ἄγοντες. ἐπέῤῥιπται γὰρ ἀλλήλοις τὰ κῶλα ἐφ' ἑκατέρῳ ἕτερον, ὥςπερ ἐν τοῖς διαλελυμένοις λόγοις· καὶ ἀπολήξαντες, μόλις ἂν ἐννοηθῶμεν κατὰ τὸ τέλος, ὅτι τὸ λεγόμενον περίοδος ἦν. δεῖ γὰρ μεταξὺ διῃρημένης τε καὶ κατεστραμμένης λέξεως, τὴν διαλογικὴν περίοδον γράφεσθαι, καὶ μεμιγμένην ὁμοίως ἀμφοτέροις· περιόδων μὲν εἴδη τοσάδε. (Sect. XXI.)

§. 56.

Aristoteles (Rhetoric. l. III. c. 9.)

Τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν, ὥςπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί· ἢ κατεστραμμένην καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις. Ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν· «Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδεξις.» ταύτῃ γὰρ πρότερον μὲν ἅπαντες, νῦν δὲ οὐ πολλοὶ χρῶνται. λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ

ἔστι δὲ ἀηδὴς διὰ τὸ ἄπειρον· τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν. διόπερ ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι καὶ ἐκλύονται· προορῶντες γὰρ τὸ πέρας οὐ κάμνουσι πρότερον. ἡ μὲν οὖν εἰρομένη τῆς λέξεως, ἔστιν ἥδε. Κατεστραμμένη δὲ ἡ ἐν περιόδοις· λέγω δὲ περιόδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον· ἡδεῖα δ᾽ ἡ τοιαύτη, καὶ εὐμαθής· ἡδεῖα μὲν διὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ· καὶ ὅτι αἰεί τι οἴεται ἔχειν ὁ ἀκρόατης τῷ αἰεὶ πεπεράνθαι τι αὐτῷ. τὸ δὲ μηδὲν προνοεῖν εἶναι, μηδὲ ἀνύειν, ἀηδές· εὐμαθὴς δὲ, ὅτι εὐμνημόνευτος· τοῦτο δὲ, ὅτι ἀριθμὸν ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις, ὃ πάντων εὐμνημονευτότατον. διὸ καὶ τῶν μέτρων πάντες μνημονεύουσι μᾶλλον τῶν χύδην· ἀριθμὸν γὰρ ἔχει, ᾧ μετρεῖται. Δεῖ δὲ τὴν περιόδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, καὶ μὴ διακόπτεσθαι, ὥςπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα·

Καλυδὼν μὲν ἥδε, γαῖα Πελοπείας χθονός.

τοὐναντίον γάρ ἐστιν ὑπολαβεῖν τῷ διαρεῖσθαι, ὥςπερ καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου, τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου. Περίοδος δὲ ἡ μὲν ἐν κώλοις· ἡ δὲ ἀφελής. ἔστι δὲ ἐν κώλοις μὲν λέξις ἡ τετελειωμένη τε καὶ διῃρημένη, καὶ εὐανάπνευστος, μὴ ἐν τῇ διαιρέσει, ὥςπερ ἡ εἰρημένη περίοδος, ἀλλ᾽ ὅλη. κῶλον δ᾽ ἐστὶ τὸ ἕτερον μόριον ταύτης. ἀφελῆ δὲ λέγω τὴν μονόκωλον. Δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους, μήτε μειούρους εἶναι, μήτε μακράς. τὸ μὲν γὰρ μικρὸν προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν· ἀνάγκη γὰρ, ὅταν ἔτι ὁρμῶν ἐπὶ τὸ πόῤῥω καὶ τὸ μέτρον, οὗ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὅρον, ἀντισπασθῇ παυσαμένου, οἷον προσπταίειν γίγνεσθαι διὰ τὴν ἀντίκρουσιν. τὰ δὲ μακρὰ ἀπολείπεσθαι ποιεῖ, ὥςπερ οἱ ἐξωτέρω ἀπο-

κάμπτοντες τοῦ τέρματος· ἀπολείπουσι γὰρ καὶ οὗτοι τοὺς συμπεριπατοῦντας. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ περίοδοι αἱ μακραὶ οὖσαι. λόγος γίγνεται καὶ ἀναβολῇ ὅμοιον. ὥςτε γίγνεται, ὃ ἔσκωψε Δημόκριτος ὁ Χῖος εἰς Μελανιππίδην, ποιήσαντα ἀντὶ τῶν ἀντιστρόφων ἀναβολάς.

Οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων· ἡ δὲ μακρ' ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη. ἁρμόττει γὰρ τὸ τοιοῦτον καὶ εἰς τοὺς μακροκώλους λέγειν. αἱ δὲ λίαν βραχύκωλοι, οὐ περιόδος γίγνεται· προπετῆ οὖν ἄγει τὸν ἀκροατήν. Τῆς δὲ ἐν κώλοις λέξεως ἡ μὲν διῃρημένη ἐστίν· ἡ δὲ ἀντικειμένη. διῃρημένη μὲν, οἷον, «Πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων.» ἀντικειμένη δὲ, ἐν ᾗ ἑκατέρῳ τῷ κώλῳ ἢ πρὸς ἐναντίῳ ἐναντίον σύγκειται, ἢ ταὐτὸ ἐπέζευκται τοῖς ἐναντίοις· οἷον, «Ἀμφοτέρους δ' ὤνησαν, καὶ τοὺς ὑπομείναντας, καὶ τοὺς ἀκολουθήσαντας· τοῖς μὲν γὰρ πλείω τῆς οἴκοι προσεκτήσαντο· τοῖς δὲ ἱκανὴν τὴν οἴκοι κατέλιπον.» ἐναντία· ὑπομονὴ, ἀκολούθησις· ἱκανὸν, πλεῖον. «Ὥςτε καὶ τοῖς χρημάτων δεομένοις, καὶ τοῖς ἀπολαῦσαι βουλομένοις·» ἀπόλαυσις κτήσει ἀντίκειται. καὶ ἔτι, «Συμβαίνει πολλάκις ἐν ταύταις, καὶ τοὺς φρονίμους ἀτυχεῖν, καὶ τοὺς ἄφρονας κατορθοῦν.» — Εὐθὺς μὲν τῶν ἀριστείων ἠξιώθησαν, οὐ πολὺ δὲ ὕστερον τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάσσης ἔλαβον. — Πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δ' Ἄθω διορύξας. — Καὶ φύσει πολίτας ὄντας, νόμῳ τῆς πόλεως στέρεσθαι. — Οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν κακῶς ἀπώλοντο· οἱ δ' αἰσχρῶς ἐσώθησαν. — Ἰδίᾳ μὲν τοῖς βαρβάροις οἰκέταις χρῆσθαι· κοινῇ δὲ πολλοὺς τῶν συμμάχων περιορᾶν δουλεύοντας. — Ἢ ζῶντας ἕξειν, ἢ τελευτήσαντας καταλείψειν. καὶ ὃ εἰς

Πειθόλαόν τις εἶπε καὶ Λυκόφρονα ἐν τῷ δικαστηρίῳ, «Οὗτοι δ' ὑμᾶς οἴκοι μὲν ὄντες ἐπώλουν· ἐλθόντες δ' ὡς ἡμᾶς ἐώνηνται.» ἅπαντα γὰρ ταῦτα ποιεῖ τὸ εἰρημένον. Ἡδεῖα δέ ἐστιν ἡ τοιαύτη λέξις, ὅτι τὰ ἐναντία γνωριμώτατα, καὶ παράλληλα μᾶλλον γνώριμα· καὶ ὅτι ἔοικε συλλογισμῷ· ὁ γὰρ ἔλεγχος συναγωγὴ τῶν ἀντικειμένων ἐστίν. Ἀντίθεσις μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστι· παρίσωσις δὲ, ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα. παρομοίωσις δὲ, ἂν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων. ἀνάγκη δὲ, ἢ ἐν ἀρχῇ, ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν. καὶ ἀρχὴ μὲν αἰεὶ τὰ ὀνόματα· ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς, ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις, ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα. ἐν ἀρχῇ μὲν τὰ τοιαῦτα· «Ἀγρὸν γὰρ ἔλαβεν ἀργὸν παρ' αὐτοῦ.»

Δωρητοί τ' ἐπέλοντο, παράῤῥητοί τ' ἐπέεσσιν.

ἐπὶ τελευτῆς δὲ, «Ὠιήθησαν αὐτὸν παιδίον τετοκέναι, ἀλλ' αὐτοῦ αἴτιον γεγονέναι.» — «Ἐν πλείσταις δὲ φροντίσι, καὶ ἐν ἐλαχίσταις ἐλπίσι.» πτῶσις δὲ ταὐτοῦ, «Ἄξιος δὲ σταθῆναι χαλκοῦς, οὐκ ἄξιος ὢν χαλκοῦ.» ταυτὸ δ' ὄνομα, «Σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς, καὶ νῦν ἀποθανόντα γράφεις κακῶς.» ἀπὸ συλλαβῆς δὲ, «Τί ἂν ἔπαθες δεινὸν, εἰ ἄνδρ' εἶδες ἀργόν;» ἔστι δὲ ἅμα πάντ' ἔχειν ταὐτὸ καὶ ἀντίθεσιν εἶναι τὸ αὐτὸ, καὶ πάρισον, καὶ ὁμοιοτέλευτον. αἱ δ' ἀρχαὶ τῶν περιόδων σχεδὸν ἐν τοῖς Θεοδεκτείοις ἐξηρίθμηνται. Εἰσὶ δὲ καὶ ψευδεῖς ἀντιθέσεις, οἷον καὶ Ἐπίχαρμος ἐποίει,

Τόκα μὲν τήνοις ἐγὼν ἦν· τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγώ.

Id. Ibid. (c. 8.)

Τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄῤῥυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον· πεπλᾶσθαι γὰρ δοκεῖ, καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησι· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ, πότε πάλιν ἥξει· ὥςπερ οὖν τῶν κηρύκων προλαμβάνουσι τὰ παιδία, τὸ, τίνα αἱρεῖται ἐπίτροπον ὁ ἀπελευθερούμενος; Κλέωνα. τὸ δὲ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον. Δεῖ δὲ πεπεράνθαι μὲν, μὴ μέτρῳ δέ· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον. περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά. Διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. ποίημα γὰρ ἔσται; ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς. τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι τοῦ ᾖ. Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ οὐ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος· ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότητα γένεσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δῆλοι δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. λείπεται δὲ παιὰν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι· οὐκ εἶχον δὲ λέγειν, τίς ἦν. ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιὰν καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων· τρία γὰρ πρὸς δύο ἐστίν. ἐκείνων δὲ ὁ μὲν, ἓν πρὸς ἕν· ὁ δὲ, δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος· οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί· ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν· ὥςτε μάλιστα λανθάνειν. νῦν μὲν οὖν χρῶνται τῷ ἑνὶ παιᾶνι καὶ ἀρχόμενοι. δεῖ δὲ διαφέρειν τὴν τελευτὴν τῆς ἀρχῆς. Ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις· ὧν τὸ μὲν ἐν ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥςπερ καὶ χρῶνται· οὗτος δ' ἐστὶν, οὗ ἄρχει μὲν ἡ μακρὰ, τελευτῶσι δὲ τρεῖς

βραχεῖαι· «Δαλογενὲς, εἴτε Λυκίαν·» καὶ «Χρυσεοκόμα Ἕκατε, παῖ Διός.» ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευταία· «Μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.» οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ· ἡ γὰρ βραχεῖα διὰ τὸ ἀτελὴς εἶναι ποιεῖ κολοβόν. ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι, καὶ δήλην εἶναι τὴν τελευτὴν, μὴ διὰ τὸν γραφέα, μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν. Ὅτι μὲν οὖν εὔρυθμον δεῖ εἶναι τὴν λέξιν, καὶ μὴ ἄρρυθμον, καὶ τίνες εὔρυθμον ποιοῦσι ῥυθμοὶ, καὶ πῶς ἔχοντες, εἴρηται.

§. 57.

Qintilianus. (Inst. or. l. IX. c. 11.)

Diximus igitur, esse *incisa*, *membra*, *circuitus*. *Incisum* (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri. Tale est enim, quo Cicero utitur: *Domus tibi deerat? at habebas; pecunia superabat? at egebas* *). Fiunt autem etiam singulis verbis incisa, ut: *Diximus, testes dare volumus*, incisum est *diximus*. *Membrum* autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus, et per se nihil efficiens. Id enim: *O, callidos homines!* **) perfectum est; sed remotum a ceteris, vim non habet; ut per se manus, et pes, et caput. Et, *O rem excogitatam! o ingenia metuenda!* Quando ergo incipit corpus esse? quum venit extrema conclusio: *Quem, quaeso, nostrum fefellit, id vos ita esse facturos?* quam Cicero brevissimam

---

*) Orat. c. 67.
**) *Cic.* or. c. 67.

putat. Itaque fere incisa et membra mixta sunt, et conclusionem utique desiderant. *Periodo* plurima nomina dat Cicero, *ambitum*, *circuitum*, *comprehensionem*, *continuationem*, *circumscriptionem* *). Genera ejus duo sunt: alterum simplex, quum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat membris et incisis, quae plures sensus habent. *Aderat janitor carceris et carnifex praetoris*, et reliqua. Habet *periodus* membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor; sed recipit frequenter et plura. Modus ei a Cicerone aut quatuor senariis versibus, aut ipsius spiritus modo terminatur **). Praestare debet, ut sensum concludat; sit aperta, ut intelligi possit; non incommodica, ut memoria contineri. Membrum longius justo, tardum; brevius, instabile est. Ubicumque acriter erit et instanter pugnaciterque dicendum, membratim caesimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet; adeoque rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente aeque audientem inhorrescere. Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis, et velut laxioribus nodis resoluemus; exceptis, quae non docendi gratia, sed ornandi narrantur: ut in Verem ***) *Proserpinae raptus*. Haec ****) enim lenis et fluens contextus decet. Periodus apta prooemiis maiorum caussarum, ubi sollicitudine, commendatione, miseratione res eget. Item com-

*) *Cic.* orat. c. 61.

**) *Cic.* or. c. 66.

***) L. IV. c. 48.

****) Alii: *hic*.

munibus locis, et in omni amplificatione: sed poscitur tum austera, si accuses; tum fusa, si laudes. Multum et in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, quum judex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione, et se credit actori et voluptate jam ducitur. Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat. Namque omnia ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est ac fluit; ut homines, qui manibus invicem adprehensis gradum firmant, continent et continentur. Demonstrativum genus omne fusiores habet liberioresque numeros. Judiciale et concionale, ut materia varium est, sic etiam ipsa collocatione verborum. Ubi jam nobis pars ex duabus (quas modo fecimus) secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? Gravibus, sublimibus, ornatis longas magis syllabas convenire? Ita ut lenia spatium, sublimia et ornata claritatem quoque vocum poscant; his contraria magis gaudere brevibus *): argumenta, partitiones, jocos, et quidquid est sermoni magis simile. Itaque componemus prooemium varie, atque ut sensus ejus postulabit. — Nam judicis animus varie praeparatur: tum miserabiles esse volumus, tum modesti, tum acres, tum graves, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Haec ut sint diversa natura, dissimilem componendi quoque rationem desiderant. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro

*) Multi leg.: *potius, quam his contraria.* Et pergunt deinde: *Magis laudarem brevibus argumenta etc.*

est ad causas forenses, neque omnino repudiandum. Si enim semper utare, quum satietatem affert, tum, quale sit, etiam ab imperitis agnoscetur. —

Quo autem pacto deceat *incise membratimve* dici, jam videbimus; nunc, quot modis mutantur comprehensiones conclusionesque dicendum est. — Insistit autem ambitus modis pluribus e quibus unam est *secuta Asia* maxime, qui *Dichoreus* vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus; explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse praeclare; quo etiam satietas formidanda est magis.

Sequi videtur, ut videamus, quae sint *incisa*, quae *membra*. Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat, et ne brevior sit, quam satis sit, neque longior. Quamquam utrumque nonnunquam, vel potius saepe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. — E quatuor igitur quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio. His igitur singulis versibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus. Sin membratim volumus dicere, insistimus; idque cum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et saepe disjungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi: *Missos faciant patronos; ipsi prodeant!* — Sed quae incisim

quidem ulla erit, ut debeat esse continua, et in eosdem semper pedes ire. Nam et versificandi genus est, unam legem omnibus sermonibus dare, et id cum manifesta affectatione (cujus rei maxime cavenda suspicio est) tum etiam similitudine taedium ac satietatem creat. Quoque est dulcius, magis perit, amittitque et fidem, et affectus, motusque omnes, qui est in hac cura deprehensus; nec potest ei credere, aut propter eum dolere et irasci judex, cui putat hoc vacare. Ideoque interim *) quaedam quasi solvenda de industria sunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata videantur. Sed neque longioribus, quam oportet, hyperbatis compositioni serviamus, ne, quae ejus gratia fecerimus, propter eam fecisse videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum verbum praetermittemus gratia lenitatis. —

§. 58.

Cicero. (Orat. c. 61 seqq.)

Quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, quem Graeci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus; an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit? — — In historia et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, illa circumscriptione ambituque, ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. — Genus autem hoc orationis neque totum assumendum

*) *Nonnulli*: initia. *Alii*: vincta.

est oratione), cetera in eo latere indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor hoc complexus est omnia, sed et graece ab eloquendo ῥήτωρ; et Latine eloquens dictus est. Ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat; dicendi autem, id est eloquendi, maxima vis soli huic conceditur. (*Orator*, c. 19.) — — — Erit igitur eloquens is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, *ut probet*, *ut delectet*, *ut flectat* *). Probare, necessitatis est; delectare, suavitatis; flectere, victoriae. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. (*Ibid.*, c. 21.) — — Esse (igitur) perfecti eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quae sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus atque finitimam, *Dialecticorum* scientiam adsumere. Quamquam aliud videtur oratio, aliud disputatio; nec idem loqui esse, quod dicere: attamen utrumque in disserendo est, (ut) disputandi ratio et loquendi Dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi. Zeno quidem ille, a quo disci-

*) Fuerunt, et clari quidem auctores, quibus solum videretur oratoris officium *docere*. Namque et affectus duplici ratione excludendos putabant: primum quia vitium esset omnis animi perturbatio; deinde, quia judicem a veritate depelli misericordia, vel ira similibusque non oporteret; et voluptatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti supervacuum, sed vix etiam viro dignum, arbitrabantur. Plures vero, qui nec ab illis sine dubio partibus rationem orandi summoverent, hoc tamen proprium ac praecipuum crederent opus, sua confirmare, et, quae ex adverso proponerentur, refutare. (Ita *Quintil.* l. V. in prooem.)

plina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam quum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam ajebat ejusmodi esse; quum autem diduxerat, et manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque (etiam) ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae; ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior *). Volo igitur, huic summo omnem, quae ad dicendum tradi possit, loquendi rationem esse notam: quae quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habet docendi viam. Nam et ipse Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi, et postea, qui Dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo eum censeo, qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi disciplina institutum. Noverit primum vim, naturam, genera verborum, et simplicium et copulatorum; deinde, quot modis quidque dicatur; qua ratione, verum-falsumne sit, judicetur; quid efficiatur e quoque; quid cuique consequens sit, quidque contrarium; quamque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat. Haec tenenda sunt oratori; saepe enim occurrunt. Sed, quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. (*Ibid.* c. 22.) — — Nec vero Dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philo-

*) Ἡ Ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ Διαλεκτικῇ. *Arist.* Rhet. I. c. 6.

sophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi et erroribus, quae saepe cadunt in causas, sed jejunius aguntur, nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest. (*Ibid.* c. 23.) — — Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet, quibus verbis quidque dicat, aut quomodo. Quem etiam, quo grandior sit et quodammodo excelsior, (ut de Pericle dixi supra), ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, quum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet. Quumque illa divina cognoverit, nolo ignoret ne haec quidem humana. Jus civile teneat, quo egent causae forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis juris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maximae scilicet nostrae civitatis; sed et imperiosorum populorum et regum illustrium; quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus nihil quum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est, semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi ea memoria rerum veterum cum superioribus contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exem-

plorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem. (*Ibid.* c. 24.) *).

Quis non jure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum et civitatum tam exiguum oratorum numerum inveniri? — Nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. (De orat. I. c. 4.) — — Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem et difficultatem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda, non solum electione, sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi: quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio, libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate conjuncta. Tenenda praeterea est omnis antiquitas exemplorumque vis; neque legum aut juris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est? quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat; in qua cum omnes in oris et

*) Cum his *Ciceronis* dictis omnino comparanda sunt, quae habet *Quintil.* l. XII. c. 1. praecipue c. 2, 3 et 4.

vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria? Quae nisi custos inventis (cogitatisque) rebus et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiamsi praeclarissima fuerint in oratore, peritura. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cura est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis praeceptis aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant. (*Ibid.* c. 5.) — — Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae nisi subest, res ab oratore percepta et cognita inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. (*Ibid.* c. 6.) — — — — — Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit deducere. Haec una res in omni libero populo maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus praecipue semper floruit semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata

oratio et polita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos *), vel te ulcisci lacessitus? — — — Ut vero jam ad illa summa veniamus: quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque ducere, aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere? Ac ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi: sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non modo ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum et universae reipublicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis. (*Ibid.* c. 8.) — — — Ut igitur de ipso genere (scil. oratorio) sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam **); sic illud affirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum et ad excipiendas eorum voluntates. Hujus rei scientiam, si quis volet, magnam quandam artem esse, dicere, non repugnabo. Etenim cum plerique

*) Alii legunt: *integros.*

**) De or. l. I. c. 20, ubi vero, sicut hoc ipso loco, quem nunc adscribimus, Antonii persona servanda est.

temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius, quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. — — Nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore praeclarius. Nam ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus jucundius percipi possit. Qui enim cantus moratae orationis pronunciatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in suscipienda veritate jucundior? Quid autem subtilius, quam acutae crebraeque sententiae? quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quae quidem ornate dici graviterque debeat. (l. II. c. 8.) Hujus est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: ejusdem et languentis populi imitatio et effrenati moderatio. Eadem facultate et fraus hominum ad perniciem et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius rovocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando, potest? quis moerorem levare mitius consolando? Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi

oratoris immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quae verborum, aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profiteatur; si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem eamque variare et distinguere, quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus; aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse, aut cum aliqua alia arte esse commune. Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina; non, si qui aliarum artium bene loquuti sunt, eo minus id est hujus unius proprium; sed ut orator de iis rebus, quae ceterarum artium sunt, si modo eas cognorit, — — optime potest dicere: sic caeterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. (Ibid. c. 9.)

Quintilianus. (Instit. orat. II. c. 16.)

Sequitur quaestio, an *utilis* rhetorice? Nam quidam vehementer in eam invehi solent: et, quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi viribus: Eloquentiam esse, quae poenis eripiat scelestos, cujus fraude damnentur interim boni, consilia ducantur in pejus; nec seditiones modo turbaeque populares, sed bella etiam inexpiabilia excitentur; cujus denique tum maxime sit usus, cum pro falsis contra veritatem valet. Nam et Socrati objiciunt comici *), docere eum, quomodo pejorem caussam

*) *Aristophanes* in Nub. v. 882 seqq. Cf. *Seneca* de vit. beat. c. 27. ubi Socrates hoc modo de se ipso loquens inducitur: «Praebui ego aliquando Aristophani materiam jocorum;

meliorem faciat; et contra, *Tisiam* et *Gorgiam* similia, dicit, polliceri, Plato *). Et his adjiciunt exempla Graecorum Romanorumque et enumerant, qui perniciosa non singulis tantum, sed rebus etiam publicis usi eloquentia turbaverint civitatium status vel everterint: eoque et Lacedaemoniorum civitate expulsam **), et Athenis quoque, ubi actor movere adfectus vetabatur, velut recisam orandi potestatem ***). Quo quidem modo, nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa denique sapientia. Nam et dux Flaminius, et Gracchi, Saturnini, Glauciae magistratus ****), et in medicis venena, et in iis, qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnumquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur: attulerunt saepe valetudinis causas; numquam tecta subeamus: super habitantes aliquando

---

tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit.» — *Diog. Laert.* (II. 20.) ita refert: Ἀριστοφάνης αὐτὸν κωμῳδεῖ ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα. —

*) *Plat.* in Phaedr. p. 364. ed. Bip. Τισίαν τε καὶ Γοργίαν τε ἐάσομεν εὕδειν, οἱ πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον· τάτε αὖ σμικρὰ μεγάλα, καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσι διὰ ῥώμην λόγου κ. τ. λ.

**) Vid. *Plutarch.* Apophth. Lac. p. 226. D. et *ejusdem* Lycurg. Vol. I. p. 44. e. F.

***) Revera ab Areopago tantum proscripta erat affectuum commotio. Vid. *Arist.* Rhet. I. c. 1. §. 5. Noster fortasse alludit ad illud, quod ap. *Athen.* Deipnos. p. 590. E. legitur, scilicet post clarissimam Hyperideam Phrynes defensionem ejusmodi legem Athenis esse datam.

****) Cf. *Liv.* XXII. 3 seqq. et *Cicer.* pro Rabirio.

procumbunt; non fabricetur militi gladius: potest uti eodem ferro latro. Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, et (ne terrenis immorer) solem, lunamque, praecipua siderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem caecus ille Appius dicendi viribus diremisse *)? aut non divina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit? et Catilinae fregit audaciam? et supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Non perterritos militum animos frequenter a metu revocat orator? et tot pugnandi pericula ineuntibus laudem vita esse potiorem persuadet? — — Equidem nec urbium conditores reor aliter efecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota; nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent **). Quin ipsa vitae praecepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare, etiamsi in utramque partem valent arma facundiae, non tamen est aequum, id haberi malum, quo bene uti licet.

---

*) Cf. *Freinsh.* Supplem. XIII. 31 seqq.

**) Cf. *Cicero*, De invent. I. 2. et De orat. I. 3.

§. 60.

De artis oratoriae partitione.

a) Circa materiam.

Cicero (De invent. l. I. c. 5.)

Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur. Ut si medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur: item, quibus in rebus versatur ars et facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus. Has autem res alii plures, alii pauciores existimaverunt. Nam Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et immensam huic artificio materiam subjicere videtur *). Aristoteles autem, qui huic arti plurima adjumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, *demonstrativo*, *deliberativo*, *judiciali* **). Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem aut vituperationem; deliberativum, quod positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem; judiciale, quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. Et, quem-

*) De Gorgiae circa hanc rem sententia cf. *Platonis* Gorg. et inprimis Phaedr.

**) Idem fere *Quintil.* dicit: « Aristoteles tres faciendo partes orationis, *judicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*, paene et ipse oratori subjecit omnia; nihil enim non in haec cadit. (L. II. c. 21. §. 23.) — Et *Cicero* sibimet ipsi comparandus *Part. orat.* c. 20.

admodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripartita versari existimanda est.

Aristoteles (Rhet. l. I. c. 3.)

Ἔστι δὲ τῆς Ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν· τοσοῦτοι γὰρ καὶ οἱ ἀκροαταὶ τῶν λόγων ὑπάρχουσιν ὄντες· σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὅν· καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστιν, λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν. Ἀνάγκη δὲ, τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτήν. κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. ἔστι δ' ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρινών, οἷον ἐκκλησιαστής· ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής· ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, οἷον ὁ θεωρός. Ὥςτ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτροπή· τὸ δὲ ἀποτροπή· ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες, καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες, τούτων θατέρων ποιοῦσι. δίκης δὲ τὸ μὲν κατηγορία· τὸ δὲ ἀπολογία· τούτων γὰρ ὁποτερονοῦν ποιεῖν ἀνάγκη τοὺς ἀμφισβητοῦντας. ἐπιδεικτικοῦ δὲ τὸ μὲν ἔπαινος· τὸ δὲ ψόγος. Χρόνοι δὲ ἑκάστου τούτων εἰσὶ τῷ μὲν συμβουλεύοντι ὁ μέλλων· περὶ γὰρ τῶν ἐσομένων συμβουλεύει ἢ προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων· τῷ δὲ δικαζομένῳ ὁ γενόμενος· περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται· τῷ δὲ ἐπιδεικτικῷ κυριώτατος μὲν ὁ παρών· κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα ἐπαινοῦσιν ἢ ψέγουσι πάντες· προσχρῶνται δὲ πολλάκις καὶ τὰ γενόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες· τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι· καὶ τρισὶν οὖσι τρία· τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν· ὁ μὲν γὰρ προτρέπων ὡς βέλτιον συμβουλεύει· ὁ δὲ ἀποτρέπων ὡς χεῖρον απο-

τρέπει· τὰ δὲ ἄλλα πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει, ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον, ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν. τοῖς δὲ δικαζομένοις τὸ δικαιὸν καὶ τὸ ἄδικον, τὰ δ' ἄλλα καὶ οὗτοι συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα. τοῖς δὲ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν. τὰ δ' ἄλλα καὶ οὗτοι πρὸς ταῦτα ἐπαναφέρουσι. Σημεῖον δὲ, ὅτι τὸ εἰρημένον ἑκάστοις τέλος· περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαιεν· οἷον ὁ δικαζόμενος, ὡς οὐ γέγονεν, ἢ ὡς οὐκ ἔβλαψεν· ὅτι δ' ἀδικεῖ, οὐδεπότε ἂν ὁμολογήσειεν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἔδει δίκης. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ συμβουλεύοντες τὰ μὲν ἄλλα πολλάκις προΐενται· ὡς δὲ ἀσύμφορα συμβουλεύουσιν, ἢ ἀπ' ὠφελίμων ἀποτρέπουσιν, οὐκ ἂν ὁμολογήσειεν· ὡς δ' οὐκ ἄδικον, τοὺς δὲ ἀστυγείτονας καταδουλοῦσθαι, καὶ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας, πολλάκις οὐδὲν φροντίζουσιν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἐπαιτοῦντες καὶ οἱ ψέγοντες οὐ σκεποῦσιν, εἰ συμφέροντα ἔπραξεν, ἢ βλαβερά· ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπαίνῳ πολλάκις τιθέασιν, ὅτι ὀλιγωρήσας τοῦ αὐτῷ λυσιτελοῦντος ἔπραξέ τι καλόν· οἷον Ἀχιλλέα ἐπαινοῦσιν, ὅτι ἐβοήθησε τῷ ἑταίρῳ Πατρόκλῳ, εἰδὼς, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀποθανεῖν, ἐξὸν ζῆν. τούτῳ δὲ ὁ μὲν τούτοις θάνατος κάλλιον· τὸ δὲ ζῆν συμφέρον. Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἀνάγκη, περὶ τούτων ἔχειν πρῶτον τὰς προτάσεις· τὰ γὰρ τεκμήρια, καὶ τὰ εἰκότα, καὶ τὰ σημεῖα, προτάσεις εἰσὶ ῥητορικαί. ὅλως μὲν γὰρ συλλογισμός ἐκ προτάσεών ἐστι. τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός ἐστι συνεστηκὼς ἐκ τῶν εἰρημένων προτάσεων. Ἐπεὶ δὲ οὔτε πραχθῆναι οἷόν τε, οὔτε πραχθήσεσθαι τὰ ἀδύνατα, ἀλλὰ τὰ δυνατά· οὐδὲ τὰ μὴ γενόμενα ἢ μὴ ἐσόμενα, οὐχ οἷόν τε, τὰ μὲν πεπράχθαι, τὰ δὲ πραχθήσεσθαι· ἀναγκαῖον καὶ τῷ συμβουλεύοντι, καὶ τῷ δικαζομένῳ καὶ τῷ ἐπιδεικτικῷ, ἔχειν προτάσεις περὶ

δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου· καὶ εἰ γέγονεν, ἢ μή· καὶ εἰ ἔσται, ἢ μή. — Ἔτι δὲ, ἐπεὶ ἅπαντες καὶ ἐπαινοῦντες καὶ ψέγοντες, καὶ προτρέποντες καὶ ἀποτρέποντες, καὶ κατηγοροῦντες καὶ ἀπολογούμενοι οὐ μόνον τὰ εἰρημένα δεικνύναι πειρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅτι μέγα ἢ μικρὸν, ἢ τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ κακὸν, ἢ τὸ καλὸν ἢ τὸ αἰσχρὸν, ἢ τὸ δίκαιον ἢ τὸ ἄδικον, ἢ καθ' αὑτὰ λέγοντες, ἢ πρὸς ἄλληλα ἀντιπαραλάβοντες· δῆλον, ὅτι δέοι ἂν περὶ μεγέθους καὶ σμικρότητος, καὶ τοῦ μείζονος καὶ τοῦ ἐλάττονος, προτάσεις ἔχειν, καὶ καθόλου καὶ περὶ ἑκάστου· οἷον, τί μεῖζον ἀγαθὸν ἢ ἔλαττον, ἢ ἀδίκημα ἢ δικαίωμα· ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων. περὶ ὧν μὲν οὖν ἐξ ἀνάγκης δεῖ λαβεῖν τὰς προτάσεις, εἴρηται. μετὰ δὲ ταῦτα διαιρετέον ἰδίᾳ περὶ ἑκάστου τούτων, οἷον, περὶ ὧν συμβουλὴ, καὶ περὶ ὧν οἱ ἐπιδεικτικοὶ λόγοι· τρίτον δὲ, περὶ ὧν αἱ δίκαι. —

b) Circa formam, i. e. modum pertractandi artis dicendi materiam.

Quintil. (Inst. or. l. III. c. 3.)

Omnis autem *orandi ratio*, ut plurimi maximique auctores tradiderunt, quinque partibus constat, *inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronunciatione* sive *actione* (utroque enim modo dicitur). Omnis vero sermo, quo quidem voluntas aliqua enunciatur, habeat necesse est et *rem* et *verba*. Ac, si est brevis, et una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, et quo modo dicamus, sed etiam quo loco: opus ergo est et *dispositione*. Sed neque omnia, quae res postulat, dicere, neque suo quaeque loco, poterimus, nisi adjuvante *memoria;* quapropter ea quoque pars quarta erit. Verum

haec cuncta corrumpit ac propemodum perdit indecora, vel voce vel gestu, *pronunciatio.* Huic quoque igitur tribuendus est necessario quintus locus.

Nec audiendi quidam, quorum est Albutius, qui tres modo primas esse partes volunt: quia *memoria* atque *actio* natura, non arte, contingant (quarum nos praecepta suo loco dabimus); licet Thrasymachus quoque idem *de actione* crediderit *). His adjecerunt quidam sextam partem, ita ut inventioni *judicium* subnecterent; quia primum esset *invenire*, deinde *judicare.* Ego porro ne invenisse quidem credo eum, qui non judicavit: neque enim contraria, communia, stulta *invenisse* dicitur quisquam, sed *non vitasse.* Et Cicero quidem in Rhetoricis judicium subjecit inventioni **); mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum (nam neque *dispositio* sine eo, neque *elocutio* fuerit), ut *pronunciationem* quoque vel plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in *Partitionibus oratoriis* ad easdem ***), de quibus supra dictum est, quinque pervenit partes. Nam quum dupliciter primum divisisset, in *inventionem* atque *elocutionem*, res ac dispositionem inventioni, verba et pronunciationem elocutioni dedit; quintamque constituit, communem, ac velut custodem omnium, *memoriam.* Idem in *Oratore* ****), quinque rebus constare eloquentiam, dicit: in quibus postea scriptis certior ejus sententia est. Non minus mihi cupidi novitatis alicujus videntur

*) De Thrasym. vide §. 60. nota.

**) « In *Rhetoricis* » ad libros *de Invent.* videtur referendum esse; ubi tamen frustra illud quaesiveris.

***) *Cic.* de Part. orat. c. I.

****) Ad *Orat.* c. XIV seqq. respexisse Fabius videtur.

fuisse, qui adjecerunt *ordinem*, quum dispositionem dixissent: quasi aliud sit dispositio, quam rerum ordine quam optimo collocatio. *Dion* inventionem modo et dispositionem tradidit, sed utramque duplicem, rerum ac verborum, ut sit elocutio inventionis, pronunciatio dispositionis: his quinta pars, memoria, accedat *). Theodorei fere inventionem duplicem, *rerum*, atque *elocutionis*, deinde tres ceteras partes **). Hermagoras, judicium, partitionem, ordinem, quaeque elocutionis sunt, subjicit *oeconomiae*, quae, Graece appellata ex cura rerum domesticarum et hic per abusionem posita, nomine Latino caret ***).

Est et circa hoc quaestio, quod *memoriam* in ordine partium quidam *inventioni*, quidam *dispositioni* subjunxerunt: nobis quartus ejus locus maxime placet. Non enim inventa tantum tenere, ut disponamus, nec disposita, ut eloquamur, sed etiam verbis formata memoriae mandare debemus. Hac enim omnia, quaecunque in orationem collata sunt, continentur.

Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non *rhetorices* partes esse existimarent, sed opera oratoris: ejus enim esse invenire, disponere, eloqui, et cetera. Quod si accipimus, nihil arti relinquemus. Nam bene dicere est oratoris; rhetorices tamen est

---

*) Fortasse de *Dione*, Prusensi loquitur, qui ob egregiam suam eloquentiam Χρυσόστομος cognominatus est, cujus autem nusquam ulla de arte rhetorica scriptio commemoratur. Cf. *Fabr.* Bibl. Gr. Harl. Vol. V. p. 122 seqq.

**) De *Theodoro* vid. supra §. 160. nota.

***) De eodem Hermagora hic Noster loqui videtur, quem *Cicero* (De Inv. I. c. 6.) memorat, quique sedulo est segregandus ab altero juniore, Temnite.

bene dicendi scientia: vel, ut alii putant, artificis est persuadere; vis autem persuadendi, artis. Ita *invenire* quidem et *disponere*, oratoris; *inventio* autem et *dispositio*, rhetorices propria videri potest. In eo plures dissenserunt, utrumne hae *partes* essent rhetorices, an ejusdem *opera*, an (ut Athenaeus credit) *elementa*, quae vocant *στοιχεῖα*. Sed neque *elementa* recte quis dixerit; alioqui tantum initia erunt, ut mundi vel humor, vel ignis, vel materia, vel corpora insecabilia: nec *operum* recte nomen accipient, quae nec ab aliis perficiuntur, et aliud ipsa perficiunt. *Partes* igitur. Nam quum sit ex his rhetorice, fieri non potest, ut, quum totum ex partibus constet, non sint partes totius, ex quibus constat *).

---

*) Adponamus, quae *Cicero* (De Inv. l. I. c. 7.) de partitione Rhetorices brevissime profert: « Materia quidem nobis rhetoricae videtur ea, quam Aristoteli visam esse diximus; *partes* autem hae, quas plerique dixerunt, *inventio*, *dispositio*, *eloquutio*, *memoria*, *pronunciatio*. Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant. Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. Eloquutio est idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio. Pronunciatio est rerum et verborum dignitate vocis et corporis moderatio. — *Aristoteles* tria in arte dicendi perficienda requirit, scil. *probationem*, *elocutionem*, *dispositionem*. Ἐπειδὴ τρία ἐστὶν, ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον· ἓν μὲν, ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ, περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. περὶ μὲν τῶν πίστεων εἴρηται κ. τ. λ.

§. 61.

De inventione *).

(Secundum *Ciceronem* (De Inv. c. 7.) inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant. Eadem quoque Aristotelis et Quintiliani sententia est; utrique nempe *probationibus* omnis haec pars continetur. Cf. *Arist.* Rhet. I. c. 2. *Quintil.* l. V. c. 1. Probationes autem ex sic dictis *locis* ducuntur; quapropter de illis et de his simul praecipiendum est).

*a) De rebus inveniendis deque probationum diversitate in genere **).*

Cicero (Partit. orat. c. 2.)

Cicero filius: Quoniam igitur invenire oratoris primum est, quid quaeret? Cicero pater: Ut inveniat quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis adferat. C. F. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, quae ducuntur ex locis aut in re ipsa insitis, aut adsumtis. C. F. Quos vocas locos? C. P. Eos, in quibus latent argumenta. C. F. Quid est argumentum? C. P. Probabile inventum ad faciendam fidem. C. F. Quomodo igitur duo genera dividis? C. P. Quae sine arte putantur, ea remota adpello, ut testimonia ***). C. F.

*) In pertractandis circa formam artis dicendi partibus *Aristotelis* modo (§. superiori in not.) propositam tripartitam divisionem sequemur, ita, ut hoc loco solummodo de inventione (sive probatione), de dispositione et elocutione sermo fiat; de pronunciatione autem, nec non de memoria in calce hujus operis praecepta adscribenda sint.

**) Cf. Aesthetic. lit. *vernac.* Tom. II. §. 313 seqq. et §. 318 seqq.

***) Cf. *Cicer.* Topic. c. 19. §. 73.

Quid insita? C. P. Quae inhaerent in ipsa re. C. F. Testimoniorum quae sunt genera? C. P. Divinum et humanum. Divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes et responsa sacerdotum, haruspicum, concictorum. Humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate, et ex oratione, aut libera aut expressa; in quo sunt scripta, pacta, promissa, jurata, quaesita. C. F. Quae sunt, quae dicis insita? C. P. Quae infixa sunt rebus ipsis [tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur, et ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi. Ex iis autem rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur, alia conjugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex conjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium aut minorum] *) ut definitio, ut contrarium, ut ea, quae sunt ipsi contrariove ejus aut similia, aut dissimilia, aut consentanea, aut dissentanea: ut ea, quae sunt quasi conjuncta, aut ea, quae sunt quasi pugnantia inter se: aut earum rerum, de quibus agitur, causae: aut causarum eventus, id est, quae sunt effecta de causis, ut distributiones, ut genera partium generumve par-

*) Quae hic parenthesi inclusa sunt, Lambinus et Ernesti omnino tollenda putant, ut supervacua et e Topicis huc translata; quorum quidem sententia vix improbanda videtur.

tes, ut primordia rerum et quasi praecurrentia, in quibus inest aliquid argumenti: ut rerum contentiones, quid majus, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturae rerum aut facultates comparantur. C. F. Omnibusne igitur ex his locis argumenta sumemus? C. P. Immo vero scrutabimur et quaeremus ex omnibus; sed adhibebimus judicium, ut levia semper rejiciamus, non numquam etiam [communia] praetermittamus [et] non necessaria *).

Aristoteles (Rhet. l. I. c. 2. §. 2 seqq.) **).

Τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν· αἱ δὲ ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν· οἷον μάρτυρες, βάσασανοι, συγγραφαὶ, (καὶ ὅσα τοιαῦτα·) ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς

*) Qui de locis rhetoricis, ex quibus argumenta quaerenda sint, praesertim *communibus*, singula explicatius proposita legere velit, adeat *Aristotelem*, Rhet. l. II. c. 19 seqq. *Quintilianum*, Ins. or. l. V. c. 9. 10 et 11. et ipsum *Ciceronem*, Topic. c. 2 seqq.

**) In distinguendis probationum generibus Aristotelem sequitur *Quintilianus* (l. V. c. 1.): «Ac prima quidem illa partitio, ab Aristotele tradita, consensum fere omnium meruit, alias esse probationes, quas extra dicendi rationem acciperet orator; alias, quas ex causa traheret ipse, et quodammodo gigneret. Ideoque illas ἀτέχνους, i. e. *inartificiales*, has ἐντέχνους i. e. *artificiales* vocaverunt. Ex illo priore genere sunt: *praejudicia*, *rumores*, *tormenta*, *tabulae*, *jusjurandum*, *testes*, in quibus pars maxima contentionum forensium consistit. Sed, ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiae viribus et allevanda sunt plerumque et refellenda. Quare mihi videntur magnopere damnandi, qui totum hoc genus a praeceptis removerunt.»

μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥςτε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δὲ εὑρεῖν.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν. αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος· αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως· αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Διὰ μὲν οὖν τοῦ ἤθους, ὅταν οὕτω λεχθῇ ὁ λόγος, ὥςτε ἀξιόπιστον ποιῆσαι τὸν λέγοντα. τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον, περὶ πάντων μὲν ἁπλῶς· ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μή ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἀμφιδοξεῖν, καὶ παντελῶς. δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι, ποιόν τινα εἶναι τὸν λέγοντα, οὐ γάρ, ὥςπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ (καὶ) τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν. ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστην τὸ ἦθος. Διὰ δὲ τῶν ἀκροατῶν, ὅταν εἰς πάθος ὑπὸ τοῦ λόγου προαχθῶσιν· οὐ γὰρ ὁμοίως ἀποδίδομεν τὰς κρίσεις λυπούμενοι καὶ χαίροντες, ἢ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες· πρὸς ὃ καὶ μόνον πειρᾶσθαι φαμὲν πραγματεύεσθαι τοὺς νῦν τεχνολογοῦντας. περὶ μὲν οὖν τούτων δηλωθήσεται καθέκαστον, ὅταν περὶ τῶν παθῶν λέγωμεν. Διὰ δὲ τῶν λόγων πιστεύουσιν, ὅταν ἀληθὲς ἢ φαινόμενον δείξωμεν ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν. Ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσὶ, φανερὸν, ὅτι ταῦτα τρία ἐστὶ λαβεῖν τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι τὰ περὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τρίτον τὰ περὶ τὰ πάθη, τί τε ἕκαστόν ἐστι τῶν παθῶν, καὶ ποῖόν τι, καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται, καὶ πῶς· ὥςτε συμβαίνει τὴν Ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς Διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ην δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν Πολιτικήν. διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ Ῥητορική·

καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης τὰ μὲν δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ δι' ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. ἔστι γὰρ μόριόν τι τῆς Διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν· περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου οὐδετέρα αὐτῶν ἐστιν ἐπιστήμη, πῶς ἔχει, ἀλλὰ δύναμεις τινὲς τοῦ πορίσαι λόγους. περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως αὐτῶν, καὶ πῶς ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας, εἴρηται σχεδὸν ἱκανῶς.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς Διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι· τὸ δὲ συλλογισμός (τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός·) καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως. ἔστι γὰρ τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγή· τὸ δὲ ἐνθύμημα συλλογισμός. καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμόν· παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα· καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν πῶς· ὥςτ', εἴπερ καὶ ὅλως ἀνάγκη, συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν, ἢ ὁντινοῦν· (δῆλον δ' ἡμῖν τοῦτο ἐκ τῶν Ἀναλυτικῶν·) ἀναγκαῖον, ἑκάτερον αὐτῶν ἑκατέρῳ τούτων τὸ αὐτὸ εἶναι.

Τίς δ' ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος καὶ ἐνθυμήματος, φανερὸν ἐκ τῶν Τοπικῶν· ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ καὶ ἐπαγωγῆς εἰρήται πρότερον, ὅτι τὸ μὲν ἐπὶ τῶν πολλῶν καὶ ὁμοίων δείκνυσθαι, ὅτι οὕτως ἔχει· ἐκεῖ μὲν ἐπαγωγή ἐστιν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα· τὸ δὲ, τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. ἐκεῖ μὲν συλλογισμὸς, ἐνταῦθα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται. Φανερὸν δὲ, ὅτι καὶ ἑκάτερον ἔχει ἀγαθὸν τὸ εἶδος τῆς Ῥητορικῆς· καθάπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς Μεθοδικοῖς *) εἴρηται, καὶ ἐν τούτοις ὁμοίως ἔχει· εἰσὶ

---

*) *Methodica* ad dialecticam pertinuisse videntur. Vid. de

γὰρ αἱ μὲν παραδειγματώδεις ῥητορεῖαι, αἱ δὲ ἐνθυμηματικαὶ, καὶ ῥήτορες ὁμοίως οἱ μὲν παραδειγματώδεις, οἱ δὲ ἐνθυμηματικοί. πιθανοὶ μὲν οὖν οὐχ ἧττον οἱ λόγοι οἱ διὰ τῶν παραδειγμάτων; θορυβοῦνται δὲ μᾶλλον οἱ ἐνθυμηματικοί. Τὴν δ' αἰτίαν αὐτῶν, καὶ πῶς ἑκατέρῳ χρηστεόν, ἐροῦμεν ὕστερον· νῦν δὲ περὶ αὐτῶν τούτων μᾶλλον διορίσωμεν καθαρῶς. ἐπεὶ γὰρ τὸ πιθανὸν τινὶ πιθανόν ἐστι, καὶ τὸ μὲν εὐθὺς ὑπάρχει δι' αὑτὸ πιθανὸν καὶ πιστόν· τὸ δὲ τῷ δείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων· οὐδεμία δὲ τέχνη σκοπεῖ τὸ καθέκαστον, οἷον ἡ Ἰατρικὴ, τί Σωκράτει τὸ ὑγιεινόν ἐστιν, ἢ Καλλίᾳ· ἀλλὰ τί τῷ τοιῷδε, ἢ τοῖς τοιοῖσδε· τοῦτο γὰρ ἔντεχνον· τὸ δὲ καθέκαστον ἄπειρον, καὶ οὐκ ἐπιστητόν· οὐδὲ ἡ Ῥητορικὴ τὸ καθ' ἕκαστον ἔνδοξον θεωρήσει, οἷον Σωκράτει ἢ Ἱππίᾳ· ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε, καθάπερ καὶ ἡ Διαλεκτική· καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται, οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχε· φαίνεται γὰρ ἄττα καὶ τοῖς παραληροῦσιν· ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἐκ τῶν λόγου δεομένων. ἡ δὲ Ῥητορικὴ ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων. Ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς περί τε τοιούτων, περὶ ὧν βουλευόμεθα, καὶ τέχνας μὴ ἔχομεν, καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς, οἳ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν, οὐδὲ λογίζεσθαι πόῤῥωθεν. βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν· περὶ γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἢ γενέσθαι, ἢ ἐσέσθαι, ἢ ἔχειν, οὐδεὶς βουλεύεται, οὕτως ὑπολαμβάνων· οὐδὲν γὰρ πλεόν ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεύειν. Ἐνδέχεται δὲ συλλογίζεσθαι καὶ συνάγειν τὰ μὲν ἐκ συλλελογισμένων πρότερον· τὰ δὲ ἐξ ἀσυλλογίστων μὲν, δεομένων δὲ συλλογισμοῦ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἔνδοξα. ἀνάγκη δὲ, τούτων τὸ μὲν μὴ εἶναι

---

iis *Diog. Laert.* Vol. I. p. 21. *Hesychius Milesius*, Vol. I. p. 72. *Simplic.* ad Arist. Categ. fol. 7. a.

εὐεπακολούθητον διὰ τὸ μῆκος· ὁ γὰρ κριτὴς ὑπόκειται εἶναι ἁπλοῦς· τὰ δὲ μὴ πιθανὰ, διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι, μηδ᾽ ἐνδόξων· ὥςτε ἀναγκαῖον, τὸ, τε ἐνθύμημα εἶναι καὶ τὸ παράδειγμα περὶ τῶν ἐνδεχομένων ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως· τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγήν· τὸ δ᾽ ἐνθύμημα συλλογισμόν· καὶ ἐξ ὀλίγων τε, καὶ πολλάκις ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός. ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέγειν· αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής· οἷον, ὅτι Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα νενίκηκεν, ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι Ὀλύμπια νενίκηκε· τὸ δὲ, ὅτι στεφανίτης τὰ Ὀλύμπια, οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι· γινώσκουσι γὰρ πάντες *). — Ἐπεὶ δὲ ἔστιν ὀλίγα μὲν τῶν ἀναγκαίων, ἐξ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσι· τὰ γὰρ πολλὰ, περὶ ὧν αἱ κρίσεις καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν· περὶ ὧν μὲν γὰρ πράττουσι, βουλεύονται καὶ σκοποῦσι· τὰ δὲ πραττόμενα πάντα τοιούτου γένους ἐστί· καὶ οὐδὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐξ ἀνάγκης τούτων, τὰ δ᾽ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνονται καὶ ἐνδεχόμενα ἐκ τοιούτων ἀνάγκη ἑτέρων συλλογίζεσθαι· τὰ δ᾽ ἀναγκαῖα ἐξ ἀναγκαίων· (δῆλον δ᾽ ἡμῖν καὶ τοῦτο ἐκ τῶν Ἀναλυτικῶν·) φανερὸν, ὅτι, ἐξ ὧν τὰ ἐνθυμήματα λεγέται, τὰ μὲν ἀναγκαῖα ἔσται, τὰ δὲ πλεῖστα ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. λεγέται γὰρ ἐνθυμήματα ἐξ εὐκότων καὶ σημείων· ὥςτε ἀνάγκη, τούτων ἑκάτερον ἑκατέρῳ ταὐτὸ εἶναι. — Τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γιγνόμενον, οὐχ ἁπλῶς δὲ, καθάπερ ὁρίζονταί τινες· ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο, πρὸς ὃ εἰκὸς, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος. Τῶν δὲ σημείων τὸ μὲν

*) Ἀγὼν στεφανίτης dicebatur certamen, quo victoribus corona imponebatur. Exemplum legas apud *Aul. Gellium*, Noct. Att. III. c. 15.

οὕτως ἔχει, ὡς τῶν καθέκαστόν τι πρὸς τὸ καθόλου· τὸ δὲ, ὡς τῶν καθόλου τι πρὸς τὸ κατὰ μέρος. τούτων δὲ τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τεκμήριον· τὸ δὲ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι κατὰ τὴν διαφοράν. Ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίγνεται συλλογισμός· διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημείων ἐστίν. ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχεσθαι οἴωνται λῦσαι τὸ λεχθὲν, τότε φέρειν οἴονται τεκμήριον ὡς δεδειγμένον καὶ πεπερασμένον· τό γὰρ τέκμαρ καὶ πέρας αὐτὸν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαιὰν γλῶτταν. Ἔτι δὲ τῶν σημείων τὸ μὲν ὡς τὸ καθ' ἕκαστον πρὸς τὸ καθόλου ὧδε· οἷον εἴ τις εἴπειε σημεῖον εἶναι, ὅτι οἱ σοφοὶ δίκαιοι, Σωκράτης γὰρ σοφὸς ἦν καὶ δίκαιος. τοῦτο μὲν οὖν σημεῖόν ἐστι· λυτὸν δὲ, κἂν ἀληθὲς ᾖ τὸ εἰρημένον· ἀσυλλόγιστον γάρ. τὸ δὲ, οἷον εἴ τις εἴπειε σημεῖον, ὅτι νοσεῖ, πυρέττει γάρ· ἢ τέτοκεν, ὅτι γάλα ἔχει· ἀναγκαῖον· ὅπερ τῶν σημείων τεκμήριον μόνον ἐστί· μόνον γὰρ, ἂν ἀληθὲς ᾖ, ἄλυτόν ἐστι. τὸ δὲ ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον· οἷον εἴ τις εἴπειεν, ὅτι πυρέττει, σημεῖον εἶναι, πυκνὸν γὰρ ἀναπνεῖ· λυτὸν δὲ καὶ τοῦτο, κἂν ἀληθὲς ᾖ· ἐνδέχεται γάρ, καὶ μὴ πυρέττοντα πνευστιᾶν. τί μὲν οὖν εἰκός ἐστι, καὶ τί σημεῖον, καὶ τί τεκμήριον, καὶ τί διαφέρουσιν, εἴρηται μὲν καὶ νῦν· μᾶλλον δὲ φανερῶς καὶ περὶ τούτων, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν τὰ μὲν ἀσυλλόγιστά ἐστι, τὰ δὲ συλλελογισμένα, ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς διώρισται περὶ αὐτῶν *). Παράδειγμα δὲ, ὅτι μὲν ἐστι ἐπαγωγὴ, καὶ περὶ ποῖα ἐπαγωγὴ, εἴρηται· ἔστι δὲ οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, οὔθ' ὡς ὅλον πρὸς μέρος, οὔθ' ὡς ὅλον πρὸς ὅλον· ἀλλ' ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον, ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ᾖ θατέρου, παράδειγμά ἐστιν· οἷον, ὅτι ἐπεβού-

*) Cf. *Analytic. prior.* II. 27.

λευε τυραννίδι Διονύσιος, αἰτῶν τὴν φυλακήν· καὶ γὰρ Πεισίστρατος πρότερον ἐπιβουλεύων, ᾔτει τὴν φυλακὴν, καὶ λαβὼν ἐτυράννησε *). καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις, καὶ ἄλλοι, ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες γίγνονται τοῦ Διονυσίου, ὃν οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ. πάντα δὲ ταῦτα ὑπὸ τὸ αὐτὸ καθόλου, ὅτι ὁ ἐπιβουλεύων τυραννίδι φυλακὴν αἰτεῖ· ἐξ ὧν μὲν οὖν λέγονται αἱ δοκοῦσαι εἶναι πίστεις ἀποδεικτικαὶ, εἴρηται. Τῶν δὲ ἐνθυμημάτων μεγάλη διαφορὰ, καὶ μάλιστα λεληθυῖα σχεδὸν πάντας ἐστὶν, ἥπερ καὶ περὶ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν. τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστι κατὰ τὴν Ῥητορικήν· τὰ δὲ κατ' ἄλλας τέχνας καὶ δυνάμεις τὰς μὲν οὔσας, τὰς δὲ οὔπω κατειλημμένας. διὸ καὶ λανθάνουσι τοὺς ἀκροατὰς, καὶ μᾶλλον ἁπτόμενοι κατὰ τρόπον μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν· μᾶλλον δὲ σαφὲς ἔσεται τὸ λεγόμενον διὰ πλειόνων ῥηθέν. Λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν· οὗτοι δὲ εἰσὶν οἱ κοινῇ περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν, καὶ περὶ πολιτικῶν, καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει· οἷον, ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόπος· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον ἔσται ἐκ τούτου συλλογίσασθαι, ἢ ἐνθύμημα εἰπεῖν περὶ δικαίων ἢ φυσικῶν, ἢ περὶ ὁτουοῦν· καί τοι ταῦτα εἴδει διαφέρει· ἴδια δὲ, ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος προτάσεών ἐστιν· οἷον, περὶ φυσικῶν εἰσι προτάσεις, ἐξ ὧν οὔτε ἐνθύμημα, οὔτε συλλογισμός ἐστι περὶ τῶν ἠθικῶν· καὶ περὶ τούτων ἄλλαι, ἐξ ὧν οὐκ ἔσται περὶ

---

*) Ad hunc locum comparandus *Quintil.* (Inst. or. l. V. c. 11. §. 8.) — De Dionys. Siculo, Pisistrato et Theagene Megarensi v. *Herodot.* l. I. 59. *Arist.* de rep. III. 15. V. 5 et 10.

τῶν φυσικῶν· ὁμοίως δὲ τοῦτο ἔχει ἐπὶ πάντων. κἀκεῖνα μὲν οὐ ποιήσει περὶ οὐδὲν γένος ἔμφρονα· περὶ οὐδὲν γὰρ ὑποκειμενόν ἐστι· ταῦτα δὲ, ὅσῳ τις ἂν βελτίους ἐκλέγηται τὰς προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλην ἐπιστήμην τῆς Διαλεκτικῆς καὶ Ῥητορικῆς· ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς, οὐκ ἔτι Διαλεκτικὴ, οὐδὲ Ῥητορικὴ, ἀλλ' ἐκείνη ἔσται, ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς. Ἔστι δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐνθυμημάτων ἐκ τούτων τῶν εἰδῶν λεγόμενα τῶν κατὰ μέρος καὶ ἰδιῶν· ἐκ δὲ τῶν κοινῶν ἐλάττω. καθάπερ οὖν καὶ ἐν τοῖς Τοπικοῖς, καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη, καὶ τοὺς τόπους, ἐξ ὧν ληπτέον. λέγω δὲ εἴδη μὲν τὰς καθέκαστον γένος ἰδίας προτάσεις· τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. πρότερον οὖν εἴπωμεν περὶ τῶν εἰδῶν· πρῶτον δὲ λάβωμεν τὰ γένη τῆς Ῥητορικῆς, ὅπως διελόμενοι, πόσα ἐστὶ, περὶ τούτων χωρὶς λαμβάνωμεν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς προτάσεις.

b) De rebus inveniendis in specie, sive de locis uniuscujusque causarum generis. (Vid. §. superiorem).

De locis generis demonstrativi (ἐπιδεικτικοῦ).

Cicero. (Partit. orat. c. 21.)

C. P. Ac laudandi vituperandique rationes, quae non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste vivendum valent, exponam breviter atque a principiis exordiar et laudandi et vituperandi. Omnia enim sunt profecto laudanda, quae conjuncta cum virtute sunt, et quae cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo *).

---

*) Ita quoque *Aristoteles:* Μετὰ δὲ ταῦτα λέγωμεν περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας καὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ· οὗτοι γὰρ σκοποὶ τῷ ἐπαινοῦντι καὶ ψέγοντι. (Rhet. l. I c. 9.)

Conficitur autem genus hoc dictionis narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quae certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis, quae ante dicta sunt, et narrandi et augendi praecepta repetentur. Et quoniam in his causis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur; utendum erit iis in oratione singulorum verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis: id est, ut factis verbis, aut vetustis, aut translatis frequenter utamur, et in ipsa constructione verborum, ut paria paribus et similia similibus saepe referantur: ut contraria, ut geminata, ut circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quodam quasi verborum modo. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, sive quae admirabilia et nec opinata, sive significata monstris, prodigiis et oraculis: sive quae videbuntur ei, de quo agimus, accidisse divina atque fatalia. Omnis enim exspectatio ejus, qui audit, et admiratio et improvisi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem. Sed quoniam in tribus generibus bona malave versantur externis corporis et animi; prima sunt externa, quae ducuntur a genere. Quo breviter modiceque laudato, aut, si erit infame, praetermisso; humile vel praeterito, vel ad augendam ejus, quem laudas gloriam tacto, deinceps, si res patitur, de fortunis erit et facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis; in quibus quidem, quae virtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum, quorum

collocatio triplex est. Aut enim temporum servandus est ordo, aut inprimis recentissimum quodque dicendum, aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt dirigenda. Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissime patens ex multis et variis disputationibus nunc in quandam angustam et brevem concludetur. Est igitur vis virtutis duplex: aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam quae prudentia, quae calliditas, quaeque gravissimo nomine sapientia adpellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo, cui temperantiae nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus, domestica; in publicis, civilis adpellari solet. Temperantia autem in suas itidem res, et in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis discernitur; et ea, quae absunt, non expetendo, et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex: nam quae venientibus malis obstat, fortitudo; quae quod jam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur. Quae autem haec uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur, cujus est liberalitas in usu pecuniae, simulque altitudo animi in capiendis incommodis et maxime injuriis: et omne, quod est ejus generis, grave, sedatum, vel non turbulentum. In communione autem quae posita pars est, justitia dicitur, eaque erga deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas; creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. Atque hae quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliae quasi ministrae comitesque sapientiae: quarum

altera, quae sint in disputando vera, atque falsa, quibusque positis quid sequatur, distinguit et judicat; quae virtus omnis in ratione, scientiaque disputandi sita est: altera autem oratoria. Nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia; quae ex eodem hausta genere, quo illa, quae in disputando, uberior est, atque latior, et ad motus animorum, vulgique sensus accommodatior. Custos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. Atque hi sunt quidem fere quasi quidam habitus animi, sic affecti, et constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti; a quibus ut quaeque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis. Sunt autem alii quidam perfecti animi habitus ad virtutem quasi praeculti et praeparati rectis studiis et artibus: ut in suis rebus, studia literarum, ut numerorum, ac sonorum, ut mensurae, ut siderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum; in communibus, propensiora studia in aliquo genere virtutis praecipue colendo, aut divinis rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus praecipue atque insigniter diligendis. Atque haec quidem virtutum. Vitiorum autem sunt genera contraria. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in animis extollendis et despicientia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, et justitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas, et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et hanc

oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quae sunt in eodem genere nimia. Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorumque partibus: sed in toto quasi contextu orationis haec erunt illustranda maxime, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum institutus moratusque fuerit: et, si quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeque, si id divinitus accidisse potuerit videri: tum quod quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quae proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur, ex illis iisdem inveniendi locis causae, rerum et eventus et consequentia requirentur. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debebit; si modo quid erit animadvertendum, aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quae post mortem erunt consequutae *).

Quintilianus. (l. III. c. 7. §. 23 seqq.)

Interesse tamen Aristoteles putat, ubi quidque laudetur, aut vituperetur **). Nam plurimum refert, qui sint audientium mores, quae publice recepta persuasio: ut illa maxime, quae probant, esse in eo, qui laudabitur, credant; aut in eo, contra quem dicemus, ea, quae oderunt. Ita non dubium erit judicium, quod orationem praecesserit. Ipsorum etiam permiscenda laus semper (nam id benevolos facit), quoties autem fieri poterit, cum materiae utilitate jungenda. Minus Lacedaemone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia,

*) Cf. omnino *Aristot.* Rhet. I. c. 9.

**) *Arist.* Rhet. I. c. 9. §. 30. Σκοπεῖν δὲ καὶ, παρ' οἷς ὁ ἔπαινος.

fortitudo. Rapto vivere quibusdam honestum, aliis cura legum. Frugalitas apud Sybaritas forsitan odio foret; veteribus Romanis summum luxuria crimen. Eadem in singulis differentia. Maxime favet judex, qui sibi dicentem assentiri putat. Idem praecipit *) illud quoque (quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit), quia sit quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quae eadem etiam contra valent. Quod quidem orator, id est vir bonus, nunquam faciet, nisi forte communi utilitate ducatur.

Laudantur autem *urbes* similiter atque homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia circa res gestas, eadem quae in singulis; illa propria, quae ex loci positione ac munitione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori.

Est laus et *operum*, in quibus *honor*, *utilitas*, *pulchritudo*, *auctor* spectari solet. *Honor*, ut in templis; *utilitas*, ut in muris; *pulchritudo* vel *auctor*, utrobique.

Est et *locorum*, qualis Siciliae apud Ciceronem; in quibus similiter *speciem* et *utilitatem* intuemur; *speciem*, maritimis, planis, amoenis; *utilitatem*; salubribus, fertilibus. Erit etiam dictorum honestorum factorumque laus generalis. Erit et rerum omnis modi. Nam et somni et mortis scriptae laudes, et quorundam a medicis ciborum.

---

*) *Arist.* Rhet. I c. 9. §. 28. Ληπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς ταὐτὰ ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον, καὶ πρὸς ψόγον. κ. τ. λ.

Itaque, ut non consensi, hoc laudativum genus circa solam versari honesti quaestionem, sic qualitate maxime contineri puto: quanquam omnes tres status cadere in hoc opus possint, hisque usum C. Caesarem in vituperando Catone notaverit Cicero *). Totum autem habet aliquid simile suasoriis: quia plerumque eadem illic suaderi, hic laudari solent **).

De locis generis deliberativi.

Cicero. (Part. orat. c. 24—28.)

Est (igitur) in deliberando finis *utilitas*, ad quem omnia ita referantur in consilio dando sententiaque dicenda, ut illa prima sint suasori aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit, et quid aut necesse sit, aut non necesse ***). Nam et, si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit: et, si quid necesse est, (necesse autem id est, sine quo salvi liberive esse non possumus), id est reliquis et honestatibus in civili ratione, et

*) *Cicer.* Topic. c. 25. §. 94.

**) Huic sententiae finitima est illa, quam legimus ap. *Cicer.* (De orat. l. II. c. 81. §. 333.): «Neque sane jam causa videtur esse, cur *secernamus* ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt aut laudationibus. Sunt enim pleraque *communia.*»

***) Circa finem generis deliberativi Cicero sibi ipsi haud constare videtur. Namque *de Orat.* (l. II. c. 82.) ita dicit: «In suadendo nihil est optabilius, quam *dignitas.* Nam, qui *utilitatem* putat, non, quid maxime velit suasor, sed, quid interdum magis sequatur, videt.» — Comparand. *Quintil.* (l. III. c. 8.) «Deliberativas quoque miror a quibusdam sola utilitate finitas. Ac, si quid in his unum sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiae genus dignitate maxime contineri putat.»

commodis anteponendum *). Cum autem quaeritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit. Nam quae perdifficilia sunt, perinde habenda saepe sunt, ac si effici non possint. Et cum de necessitate attendemus, et si aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario saepe habetur. Itaque cum constet hoc genus causarum ex suasione et dissuasione; suasori proponitur simplex ratio: si et utile est, et fieri potest, fiat. Dissuasori duplex: una, si non utile est, ne fiat; altera, si fieri non potest, nec suscipiatur. Sic suasori utrumque docendum est; dissuasori alterum infirmare sat est. Quare quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quae in discernendis bonis malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, conjuges, germani, parentes: partim non necessaria; quorum alia sunt per se expetenda, ut

---

*) Eodem fere modo *Aristot.* deliberativi generis materiam definit: Ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν ἢ ἔσται, ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή. — Ἀλλὰ δῆλον, ὅτι, περὶ ὅσων ἐστὶ τὸ βουλεύεσθαι, τοιαῦτά ἐστιν, ὅσα πέφυκεν ἀνάγεσθαι εἰς ἡμᾶς, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐφ' ἡμῖν ἐστι· μέχρι γὰρ τούτου σκοποῦμεν, ἕως ἂν εὕρωμεν, εἰ ἡμῖν δυνατὰ ἢ ἀδύνατα πρᾶξαι. (Rhet. l. I. c. 4. §. 2 et 3.) — De *fine* Idem hoc monet: Σχεδὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τίς ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι καὶ αἱροῦνται καὶ φεύγουσι· καὶ τοῦτό ἐστιν, ἐκ κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἥ τ' εὐδαιμονία, καὶ τὰ μόρια αὐτῆς. (Id. ib. c. 5. §. 1.) Et (c. 6. §. 1.): Ἐπεὶ δὲ πρόκειται τῷ συμβουλεύοντι σκοπὸς τὸ συμφέρον κ. τ. λ.

ea, quae sita sunt in officiis atque virtutibus: alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes et copiae. Eorum autem, quae propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honestate ea, quae proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paullo ante est dictum: quae sunt laudabilia ipsa per se. Commoditate autem aliqua, quae sunt in corporis, aut fortunae bonis expetenda. Quorum alia sunt quasi quodammodo cum honestate conjuncta, ut honos, ut gloria: alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiae, clientelae Est etiam quasi quaedam materies subjecta honestati, quae maxime spectatur in amicitiis. Amicitiae autem caritate et amore cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum, patriaeque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet. Conjuges autem et liberi, et fratres, et alii, quos usus, familia ritusque conjunxit, quamquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus cum bona sint, facile est intellectu, quae sint contraria. Quod si semper optima tenere possemus, haud sane, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quae vim habent maximam, persaepe evenit, ut utilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit: ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam praecepta referamus. Et, quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum, et agreste; quod anteferat semper

utilitatem honestati; alterum humanum et politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, justitia, omnisque virtus: illi autem alteri, quaestus, emolumentum fructusque proponitur: atque etiam voluptas, quae maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit. In suadendo, cum ei generi hominum consilium des, saepe sane laudanda est: et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam umquam expetat, quam ut ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? Quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu pravisque opinionibus corruptum. Quare in cohortando atque suadendo propositum quidem nobis erit illud, ut doceamus, qua vi bona consequi malaque vitare possimus. Sed apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus; fructus, emolumenta, voluptates vitationesque dolorum proferantur; addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat. Quare, quod ad utilitatem spectat, ex iis, quae dicta sunt, reperietur. Quod autem possit affici, nec ne [possit] in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat,

quaeri solet, maxime ex causis iis, quae quamque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliae, quae ipsae conficiunt; aliae, quae vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illae superiores conficientes vocentur; hae reliquae ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem causa alia est absoluta et perfecta per se, alia aliquid adjuvans et efficiendi socia quaedam: cujus generis vis varia est, et saepe aut major, aut minor, ut et illa, quae maximam vim habet, sola saepe causa dicatur. Sunt autem aliae causae, quae aut propter principium, aut propter exitum, conficientes vocantur. Cum antea quaeritur, quid sit optimum factu; aut utilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et, quoniam de utilitate jam diximus, de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibuscum, et contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniae, sociorum, earumve rerum, quae ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quae nobis suppetunt, sed etiam illa, quae adversantur, videnda. Et, si ex contentione procliviora erunt nostra; non solum effici posse, quae suademus, erit persuadendum; sed curandum etiam, ut illa, facilia, proclivia, jucunda videantur. Dissuadentibus autem aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendae, neque aliis ex praeceptis, sed iisdem ex suasionis locis. Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel utilia ac necessaria saepe honestis, vel haec illis anteferre.

Ad commovendos autem animos maxime proficient, si incitandi erunt, hujusmodi erunt sententiae, quae aut ad explendas cupiditates, aut odium satiandum, aut ad ulciscendas injurias pertinebunt. Sin autem reprimendi; de incerto statu fortunae, dubiisque eventis rerum futurarum, et retinendis suis fortunis, si erunt secundae, sin autem adversae, de periculo, commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debebunt. Non enim supplex, ut ad judicem venit orator, sed hortator atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio, simplex et gravis et sententiis debet ornatior esse, quam verbis *).

De locis generis judicialis.

Cicero (Part. orat. c. 28—38.)

C. F. Cognovi jam laudationis et suasionis locos; nunc, quae judiciis accommodata sint, exspecto: idque nobis genus restare unum puto. C. P. Recte intelligis atque ejus quidem generis finis est aequitas; quae non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnumquam: ut quum de verissimo accusatore disputatur **), aut quum hereditatis sine lege ***) aut sine testamento petitur possessio: in quibus causis quid aequius aequissimumque sit, quaeritur; quas ad

*) De hoc genere cf. *Arist.* Rhet. l. I. c. 4. 5 sqq. et *Quint.* l. III. c. 8.

**) Ut in divinatione in Q. Caecilium.

***) Cf. Orat. pro L. Flacco c. 34 seqq.

causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, aequitatis locis. Atque etiam ante judicium de constituendo ipso judicio solet esse contentio, quum, aut sitne actio illi, qui agit, aut jamne sit, aut num jam esse desierit, aut illane lege hisve verbis sit actio, quaeritur. Quae etiam si ante, quam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta [non] *) sunt; tamen in ipsis judiciis permagnum saepe habent pondus, quum ita dicitur: *Plus petisti, sero petisti; non fuit tua petitio: non a me, non hac lege, non his verbis, non hoc judicio.* Quarum causarum genus est positum in jure civili, quod est in privatarum aut publicarum lege, aut more positum; cujus scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. — — —

In omnibus causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut, quod objicitur, factum neges; aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod adversarius criminetur; aut si neque de facto, neque de facti adpellatione ambigi potest, id quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, et rectum esse, quod feceris, concedendumve, defendas. Ita primus ille status, et quasi conflictio cum adversario, conjectura quadam; secundus autem definitione atque descriptione, aut informatione verbi; tertius aequi et veri et recti et humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. — — — — — —

*) Aberat *non* a codd. Lambini; et sic quum ipsi, tum Hotomanno placet. *Ern.*

Disceptatio quum est constituta, proposita esse debet oratori, quo omnes argumentationes repetitae ex inveniendis locis conjiciantur. Quod quamquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tamquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habet; tamen ea, quae sunt certarum causarum propria, tangemus. In conjectura igitur quum est infitiando reus, accusatori haec duo prima sunt, (sed accusatorem pro omni actore et petitore adpello: possunt enim etiam sine accusatore in causis haec eadem controversiarum genera versari); sed haec duo sunt ei prima causa et eventus. Causam adpello rationem efficiendi; eventum id, quod est effectum. Atqui ipsa quidem partitio causarum paullo ante in suasionis locis distributa est. Quae enim in consilio capiendo futuri temporis praecipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem et utilia illi, quem arguet, fuisse et ab eo effici potuisse demonstret. Utilitatis conjectura movetur, si illud, quod arguitur aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur; quod fit acrius, quo illa in utroque genere majora ponuntur. Spectantur etiam ad causam facti motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si injuriae dolor; si honoris, si gloriae, si imperii, si pecuniae cupiditas; si periculi timor, si aes alienum, si angustiae rei familiaris; si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si vinolentus; si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi; aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel

in longinquum tempus differendi; aut si judicii poena levior, quam facti praemium; aut si facinoris voluptas major, quam damnationis dolor. His fere rebus facti suspicio confirmatur, cum et voluntatis in reo causae reperiuntur et facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicujus commodi, vitationeque alicujus incommodi quaeritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis, impellit. Quamobrem sint haec dicta de causis. C. F. Teneo, et quaero, qui sint illi eventus, quos ex causis effici dixisti. C. P. Consequentia quaedam signa praeteriti et quasi impressa facti vestigia; quae quidem vel maxime suspicionem movent, et quasi tacita sunt criminum testimonia. Atque hoc quidem graviora, quod causae communiter videntur insimulare et arguere omnes posse, quorum modo interfuerit aliquid; haec proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut haesitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco visus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. — — Atque haec quidem de argumentis. Sin autem erit etiam testium facultas: primum genus erit ipsum laudandum dicendumque, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione fecisse, testes effugere non potuisse; deinde singuli laudentur. — — — —

Atque haec accusationis fere membra sunt. Defensionis autem primum infirmatio causarum; aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut

commodius potuisse idem consequi; aut non iis se esse moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Facultatum autem infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut non se tam ineptum, ut id susciperet, quod occultare non posset; neque tam amentem, ut poenas ac judicia contemneret. Consequentia autem diluet exponendo, non esse illa certa indicia facti, quae etiam nullo admisso consequi possent; consistetque in singulis; et ea aut eorum, quae ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius, quam criminis, aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quam contra salutem valere debere, testiumque et quaestionum genus universum, et quod poterit, in singulis ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, refellet. Harum causarum principia, suspiciosa ad acerbitatem ab accusatore ponentur; denunciabiturque insidiarum commune periculum excitabunturque animi, ut attendant. A reo autem querela conflati criminis, collectarum suspicionum et accusatoris insidiae et item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur et modice benevolentia judicum colligetur. — —

C. F. Scire mihi jam videor, quemadmodum conjectura tractanda sit: nunc de definitione audiamus. C. P. Communia dantur in isto genere accusatori defensorique praecepta. Uter enim definiendo describendoque verbo magis ad sensum judicis opinionemque penetrarit, et uter ad communem verbi vim, et ad eam praeceptionem, quam inchoatam habebunt in

animis ii, qui audient, magis et propius accesserit, is vincat necesse est. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tamquam explicando excutiendoque verbo: ut si in reo, pecunia absoluto rursusque revocato, praevaricationem accusator esse definiat, omnem judicii corruptelam ab reo; defensor autem non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo. Sit ergo haec contentio prima verborum, in qua etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur. Negat enim probari oporteri, eos, qui leges scripserunt, ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere: *) nititur aequitate; ut illa quasi scribenda lex sic esset, quaeque tamen complecteretur in judiciis corruptis, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur. Defensor autem testatur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen praevaricationis: ex consequentibus, quod ea litera de accusatore soleat dari judici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis quasi var[i]e esse positus videatur. Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad aequitatis locos, ad rerum judicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi: communeque sit hoc praeceptum, ut, quum uterque definierit, quam maxime potuerit ad communem sensum vimque verbi tum similibus exemplisque eorum, qui ita loquuti sunt, suam definitionem sententiamque confirmet. — —.

---

*) Locus manifeste corruptus. Quo modo restituendus sit, non constat. Illud certum, post rescindere distinctionem ponendam. *Ernesti.*

C. F. Habeo ista: nunc ea, quae quum, quale sit quippiam, disceptatur, quaeri ex utraque parte deceat velim audire. C. P. Confitentur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur; sed quoniam jure se fecisse dicunt, juris est omnis ratio nobis explicanda. Quod dividitur in duas partes primas, naturam et legem; et utriusque generis vis in divinum et humanum jus est distributa; quorum aequitatis est unum, alterum religionis. Aequitatis autem vis est duplex, cujus altera directi et veri et justi et, ut dicitur, aequi et boni ratione defenditur; altera ad vicissitudinem referendae gratiae pertinet: quod in beneficio gratia, in injuria ultio nominatur. Atque haec communia sunt naturae atque legis: sed propria legis et ea, quae scripta sunt, et ea, quae sine literis aut gentium jure, aut majorum more retinentur. Scriptorum autem privatum aliud est, publicum aliud. Publicum, lex, senatus consultum, foedus; privatum, tabulae, pactum, conventum, stipulatio. Quae autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum et quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc inprimis, ut nostros mores legesque tueamur, quodammodo naturali jure praescriptum est. Et quoniam breviter aperti fontes sunt quasi quidam aequitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea, quae dicenda erunt in orationibus de natura, de legibus, de more majorum, de propulsanda injuria, de ulciscenda, de omni parte juris. Si imprudenter, aut necessitase, aut casu quippiam fecerit, quod non concederetur iis, qui sua sponte et voluntate fecissent; ad ejus facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est, quae sumetur ex plerisque locis aequitatis. Ex-

positum est, ut potui brevissime, de omni controversiarum genere, nisi praeterea tu quid requiris. C. F. Illud equidem, quod jam unum restare video, quale sit, quum disceptatio versatur in scriptis. C. P. Recte intelligis; eo enim exposito, munus promissi omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adversariis praecepta communia. Uterque enim hanc significationem, qua utetur ipse, dignam scriptoris prudentia esse defendet. Uterque id, quod adversarius ex ambigue scripto intelligendum esse dicet; aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum ceteris scriptis, vel aliorum, vel maxime, si poterit, ejusdem; quamque defendet ipse, eam rem et sententiam quemvis prudentem et justum hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius. Eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil habere, aut captionis aut vitii; contrariam artem si probarit, fore ut multa vitia, stulta, iniqua, contraria consequantur. Quum autem aliud scriptor sensisse videtur et aliud scripsisse; qui scripto nitetur, eum re exposita, recitatione uti oportebit; deinde instare adversario, iterare, revocare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum inficietur. Post judicem ad vim scripti vocet *).

---

*) Cf. *Arist.* Rhet. l. I. c. 10. It. *Quintil.* l. III. c. 9.

§. 62.

De dispositione *).

Aristoteles. (Rhet. l. III. c. 13.)

Ἀναγκαῖα ἄρα μόρια πρόθεσις, καὶ πίστις. ἴδια μὲν οὖν ταῦτα· τὰ δὲ πλεῖστα, προοίμιον, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος· τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντίδικον τῶν πίστεών ἐστι· καὶ ἡ ἀντιπαραβολὴ αὔξησις τῶν αὐτοῦ, ὥστε μέρος τι τῶν πίστεων· ἀποδείκνυσι γάρ τι ὁ ποιῶν τοῦτο· ἀλλ' οὐ τὸ προοίμιον, οὐδ' ὁ ἐπίλογος, ἀλλ' ἀναμιμνήσκει **).

---

*) *Cicero* (de Inv. l. I. c. 7.) dispositionem ita definit: Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio.

**) Idem fere *Cicero* (de orat. l. II. c. 76.) monet: Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo ante laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac locorum. Cujus ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum, altera, quae oratorum judicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid *ante* rem dicamus, deinde ut rem *exponamus*, post, ut eam *probemus* nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut *concludamus* atque *ita peroremus*, hoc dicendi genus natura ipsa praescribit. Ut vero statuamus, ea, quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. — *Plato* dicit, δεῖν, πάντα λόγον ὥσπερ ζῶον συνεστάναι, σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὐτοῦ κ. τ. λ. (Phaedr. p. 359. e. B.) Ibid. (p. 363. seqq.) de orationis partibus haec breviter tradit: Προοίμιον μὲν οἶμαι πρῶτον ὡς δεῖ τοῦ λόγου λέγεσθαι ἐν ἀρχῇ ταῦτα λέγεις; ἡ γὰρ τὰ κόμψα τῆς τέχνης; — Ναί. — Δεύτερον δὲ δὴ διήγησιν τινὰ, μαρτυρίας τε ἐπ' αὐτῇ· τρίτον, τεκμήρια· τέταρτον, εἰκότα· καὶ πίστωσιν οἶμαι καὶ ἐπιπίστωσιν τόνγε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα (scil. Θεόδωρον).

a) *De exordio.*

Aristotel. (Rhet. l. III. c. 14.)

Τὸ μὲν οὖν προοίμιον ἐστιν ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος, καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον. Πάντα γὰρ ἀρχαὶ ταῦτ' εἰσί, καὶ οἷον ὁδοποίησις τῷ ἐπιόντι. Τὸ μὲν οὖν προαύλιον ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμίῳ. Καὶ γὰρ οἱ αὐληταὶ ὅτι ἂν εὖ ἔχωσιν αὐλῆσαι, τοῦτο προαυλίσαντες, συνῆψαν τῷ ἐνδοσίμῳ· καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν. Ὅτι γὰρ ἂν βούληται εὐθὺ εἰπόντα ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι. Ὅπερ πάντες ποιοῦσι παράδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκράτους Ἑλένης προοίμιον· οὐδὲν γὰρ οἰκεῖον ὑπάρχαι τοῖς ἐριστικοῖς καὶ Ἑλένῃ *). Ἅμα δὲ καί, ἐὰν ἐκτοπίσῃ, ἁρμόττει μὴ ὅλον τὸν λόγον ὁμοειδῆ εἶναι. Λέγεται δὲ τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοιμία ἐξ ἐπαίνου ἢ ψόγου· οἷον Γοργίας μὲν ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ λόγῳ, «Ὑπὸ πολλῶν ἄξιοι θαυμάζεσθαι, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες·» ἐπαινεῖ γὰρ τοὺς τὰς πανηγύρεις συνάγοντας· **) Ἰσοκράτης δὲ ψέγει ***), ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων ἀρετὰς δωρεαῖς ἐτίμησαν, τοῖς δ' εὐφρονοῦσιν οὐδὲν ἆθλον ἐποίησαν. Καὶ ἀπὸ συμβουλῆς· οἷον ὅτι δεῖ τοὺς ἀγαθοὺς τιμᾶν, διὸ καὶ αὐτὸς Ἀριστείδην ἐπαινεῖ· ἢ τοὺς τοιούτους, οἳ μήτε εὐδοκιμοῦσι, μήτε φαῦλοι, ἀλλ' ὅσοι ἀγαθοὶ ὄντες ἄδηλοι, ὥσπερ Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου· οὗτος γὰρ συμβουλεύει. Ἔτι δ' ἐκ τῶν δικανικῶν προοιμίων· τοῦτο δ' ἐστίν, ἐκ τῶν

---

*) Scilicet reprehenduntur in prooemio illius encomii Sophistae.

**) In ipsa oratione hortabatur Graecos ad concordiam. Vid. *Pausanias* Eliac. II.

***) In Panegyrici superstitis initio.

πρὸς τὸν ἀκροατὴν, εἰ περὶ παραδόξου λόγος, ἢ περὶ χαλεποῦ, ἢ περὶ τεθρυλλημένου πολλοῖς, ὥστε συγγνώμην ἔχειν· οἷον Χοιρίλος *)

— — — Νῦν δ', ὅτε πάντα δέδασται.

Τὰ μὲν οὖν τῶν ἐπιδεικτικῶν λόγων προοίμια ἐκ τούτων, ἐξ ἐπαίνου, ἐκ ψόγου, ἐκ προτροπῆς, ἐξ ἀποτροπῆς, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν· Δεῖ δὲ ἢ ξένα, ἢ οἰκεῖα εἶναι τὰ ἐνδόσιμα τῷ λόγῳ. Τὰ δὲ τοῦ δικανικοῦ προοίμια δεῖ λαβεῖν, ὅτι ταὐτὸ δύναται, ὅπερ τῶν δραμάτων οἱ πρόλογοι, καὶ τῶν ἐπῶν τὰ προοίμια. Τὰ μὲν γὰρ διθυράμβων ὅμοια τοῖς ἐπιδεικτικοῖς· «Διά σε, καὶ τεὰ δῶρα εἴτε σκύλα» **). Ἐν δὲ τοῖς λόγοις καὶ ἔπεσι δεῖγμα ἐστι τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι, περὶ οὗ ἦν ὁ λόγος, καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια· τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ. Ὁ δοὺς οὖν, ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα, τὴν ἀρχὴν ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ. Διὰ τοῦτο·

Μῆνιν ἄειδε θεά. — —
Ἄνδρά μοι ἔννεπε Μοῦσα. —
Ἡγεό μοι λόγον ἄλλον, ὅπως Ἀσίας ἀπὸ γαίης
Ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας ***). —

Καὶ οἱ Τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα, κἂν μὴ εὐθύς,

*) Plures Choerili memorantur. Quisnam ex illis hoc loco laudetur, non satis constat; verisimillimum autem est, Samium hic intelligi, qui, poeta epicus, carmine de bellis Graecorum cum Dario et Xerxe claruit.

**) Principium carminis dithyrambici incogniti.

***) Trium carminum epicorum principia, quorum primum et alterum omnibus literarum cultoribus notissima sunt, tertium cum auctoris nomine temporis injuria dudum periit nisi forte in sagacissimi Wolfii conjecturam inclines, qui, *Choerili* Samii carminis de bellis Graecor. cum Persis esse illa verba initium, autumat. Cf. *Schellenberg*, Rel. Antimachi Coloph. p. 39.

ὥσπερ Εὐριπίδης· ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέ που δηλοῖ, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς·

Ἐμοὶ πατὴρ ἦν Πόλυβος *).

Καὶ ἡ κωμῳδία ὡσαύτως. Τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι τί ἐστι τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα ὁ λόγος. Διόπερ ἂν δῆλον ᾖ καὶ μικρὸν τὸ πρᾶγμα, οὐ χρηστέον προοιμίῳ. Τὰ δὲ ἄλλα εἴδη οἷς χρῶνται, ἰατρεύματα καὶ κοινά. Λέγεται δὲ ταῦτα ἔκ τε τοῦ λέγοντος, καὶ τοῦ ἀκροατοῦ, καὶ τοῦ πράγματος, καὶ τοῦ ἐναντίου **). Περὶ αὐτοῦ μὲν καὶ τοῦ ἀντιδίκου, ὅσα περὶ διαβολὴν λῦσαι καὶ ποιῆσαι. Ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως· ἀπολογουμένῳ μὲν γάρ, πρῶτον τὰ πρὸς διαβολήν, κατηγοροῦντι δ' ἐν τῷ ἐπιλόγῳ. Δι' ὃ δὲ οὐκ ἄδηλον· τὸν μὲν γὰρ ἀπολογούμενον, ὅταν μέλλῃ εἰσάξειν αὑτόν, ἀναγκαῖον ἀνελεῖν τὰ κωλύοντα· ὥστε λυτέον πρῶτον τὴν διαβολήν. Τῷ δὲ διαβάλλοντι ἐν τῷ ἐπιλόγῳ διαβλητέον, ἵνα μνημονεύωσι μᾶλλον. Τὰ δὲ πρὸς τὸν ἀκροατὴν ἐκ τοῦ εὔνουν ποιῆσαι, καὶ ἐκ τοῦ ὀργίσαι, καὶ ἐνίοτε δὲ ἐκ τοῦ προσεκτικόν, ἢ τ' οὐναντίον. Οὐ γὰρ αἰεὶ συμφέρει ποιεῖν προσεκτικόν ***) διὸ πολλοὶ εἰς γέλωτα πειρῶνται προάγειν. Εἰς δὲ εὐμάθειαν ἅπαντα ἀνάξει, ἐάν τις βούληται καὶ τὸ ἐπιεικῆ φαίνεσθαι· προσέχουσι γὰρ μᾶλλον τούτοις. Προσεκτικοὶ δὲ τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσι. Διὸ δεῖ ἐμποιεῖν, ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος. ἐὰν

---

*) Oedypi Tyranni act. III.

**) V. g. in orat. pro Milone.

***) Cf. *Quint.* l. IV. c. 1. §. 37. ubi ita legitur: Nec me, quamquam magni auctores, in hoc duxerint, ut non semper facere attentum ac docilem judicem velim etc.

δὲ μὴ προσεκτικοὺς, ὅτι μικρὸν, ὅτι οὐδὲν πρὸς ἐκείνους, ὅτι λυπηρόν. Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι πάντα ἔξω τοῦ λόγου τὰ τοιαῦτα. Πρὸς φαῦλον γὰρ ἀκροατὴν καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ἀκούοντα· ἐπεὶ, ἂν μὴ τοιοῦτος ᾖ, οὐδὲν δεῖ προοιμίου. Ἀλλ' ἤ, ὅσον τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν κεφαλαιωδῶς, ἵνα ἔχῃ, ὥσπερ σῶμα, κεφαλήν. Ἔτι τὸ προσεκτικοὺς ποιεῖν πάντων τῶν μερῶν κοινὸν, ἐὰν δέῃ· πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον, ἢ ἀρχόμενοι. Διό γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν, ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται. Ὥστε ὅπου ἂν ᾖ καιρὸς, λεκτέον, «Καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν· οὐδὲ γὰρ μᾶλλον ἐμὸν, ἢ ὑμέτερον.» καὶ «Ἐρῶ γὰρ ὑμῖν, οἷον οὐδεπώποτε ἀκηκόατε δεινὸν, ἢ οὕτω θαυμαστόν.» Τοῦτο δ' ἐστὶν, ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε νυστάζοιεν οἱ ἀκροαταὶ, παρεμβάλλειν τῆς πεντηκονταδράχμου αὐτοῖς *). Ὅτι δὲ πρὸς τὸν ἀκροατὴν, οὐχ ᾗπερ ὁ ἀκροατὴς, δῆλον· πάντες γὰρ ἢ διαβάλλουσιν, ἢ φόβους ἀπολύονται ἐν τοῖς προοιμίοις.

Ἄναξ, ἐρῶ μεν, οὐχ ὅπως σπουδῆς ὕπο **).
Τί φροιμιάζῃ ***);

*) Prodicus, Socratis praeceptor, demonstrationem a se inventam jactare solebat apud discipulos, qua instructi facile vincerent alios; negavit vero, se docturum esse eam, nisi quis solveret quinquaginta drachmas. Quum igitur ejus demonstrationis non minor esset exspectatio, quam pretium, clamabat, se particulam inde adlaturum esse, quoties auditores ad doctrinam suam parum attentos cernebat. Vid. Schol. ad Aristoph. Nub. v. 360. et Suidas. Cf. item *Plato* in Cratyl. (Vol. III. p. 231. e. B.)

**) Sophocl. Antig. v. 223. pronunciatus ab eo, qui Polynicis cadaver, contra regium edictum, sepultum esse, Creonti nunciabat.

***) Eurip. Iphig. in Tauris v. 1162. verba Thoantis, quibus Iphigeniam, longo exordio se excusare conantem, interpellat.

Καὶ οἱ πονηρὸν τὸ πρᾶγμα ἔχοντες ἢ δοκοῦντες· πανταχοῦ γὰρ βέλτιον διατρίβειν, ἢ ἐν τῷ πράγματι. διὸ οἱ δοῦλοι οὐ τὰ ἐρωτώμενα λέγουσιν, ἀλλὰ τὰ κύκλῳ, καὶ προοιμιάζονται. Πόθεν δ' εὔνους δεῖ ποιεῖν, εἴρηται *), καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῶν τοιούτων. Ἐπεὶ δὲ εὖ λέγεται·

Δός μ' ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν, ἠδ' ἐλεεινὸν **),

τούτων δεῖ δύο στοχάζεσθαι. Ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς οἴεσθαι δεῖ ποιεῖν συνεπαινεῖσθαι τὸν ἀκροατὴν, ἢ αὐτὸν, ἢ γένος, ἢ ἐπιτηδεύματ' αὐτοῦ, ἢ ἄλλως γέ πως. Ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ Ἐπιταφίῳ, ἀληθὲς, ὅτι οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλὰ ἐν Λακεδαιμονίοις. Τὰ δὲ τοῦ δημηγορικοῦ ἐκ τῶν τοῦ δικανικοῦ λόγου ἐστί. Φύσει δὲ ἥκιστα ἔχει· καὶ γὰρ, καὶ περὶ οὗ, ἴσασι, καὶ οὐδὲν δεῖται τὸ πρᾶγμα προοιμίου, ἀλλ' δι' αὐτὸν, ἢ τοὺς ἀντιλέγοντας, ἢ ἐὰν μὴ, ἡλίκον βούλει, ὑπολαμβάνωσιν, ἀλλ' ἢ μεῖζον, ἢ ἔλαττον· διὸ ἢ διαβάλλειν, ἢ ἀπολύεσθαι ἀνάγκη, καὶ ἢ αὐξῆσαι, ἢ μειῶσαι. Τούτων δὲ ἕνεκα προοιμίου δεῖται· ἢ κόσμου χάριν· ὡς αὐτοκάβδαλα φαίνεται, ἐὰν μὴ ἔχῃ. Τοιοῦτον γὰρ τὸ Γοργίου ἐγκώμιον εἰς Ἠλείους· οὐδὲν γὰρ προεξαγκωνίσας, οὐδὲ προανακινήσας, εὐθὺς ἄρχεται, «Ἦλις, πόλις εὐδαίμων.»

Cicero (de orat. II. 77 seqq.)

Hisce omnibus rebus *(i. e. reliquis orationis partibus)* consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar ex-

---

*) Rhet. l. II. c. 4.

**) Odyss. VII. v. 327.

ordio. Nam si, quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune. (c. 77. §. 315.) Principia autem dicendi semper quum accurata et acuta et instructa sententiis apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet *). In quo admirari soleo non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem inprimis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat. Et ait idem, quum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare; neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile ducat, illas primas hastas ita jactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant, et reliquis viribus suis consulant. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat: sed si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur; quanto hoc

*) « Causa principii nulla est alia, quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos constat: si *benevolum, attentum, docilem* fecerimus. » *Quintil.* (l. IV. c. 1. §. 5.) — Idem iisdem fere verbis *Cicero* alio loco (de Inv. I. c. 15.) habet: « Exordium est oratio, animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet, si eum *benevolum, attentum, docilem* fecerit. Quare, qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere. »

magis in oratione exspectandum, in qua non vis potius, sed delectatio postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolet: sic omnia, quae fiunt, quaeque aguntur acerrime lenioribus principiis natura ipsa praetexuit *). Haec autem in dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. Idcirco tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. Sic et facile reperietur: sumentur enim ex iis rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi, degredi saepe oportere **). Ita et momenti aliquid adferent, quum erunt paene ex intima defensione depromtae, et adparebit, eas non modo non esse communes, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse. Omne autem principium aut rei totius, quae agetur,

---

*) «Qui *non praeparatis* auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.» Idem, Orat. c. 28. §. 99.

**) c. 77. §. 311 et 312, ubi haec habet: «Degredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est. Itaque, vel narratione exposita saepe datur ad commovendos animos degrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest: eaeque causae sunt ad agendum et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad ejusmodi degressionem, ut his locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur.»

significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. Sed quum erit utendum principio, (quod plerumque erit), aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Ex reo, (reos adpello, quorum res est), quae significent virum bonum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valeant contra falsam criminationem. Ex adversario, iisdem ex locis fere contraria. Ex re, si crudelis, si infanda, si praeter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si, quae restitui sanarique non possit. Ex iis autem, apud quos agetur, ut benevolos beneque existimantes efficiamus; quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam; sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. Nam et attentum, monent Graeci, ut principio faciamus judicem et docilem: quae sint utilia; sed non principii magis propria, quam reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quae in principiis, quam quae in mediis causis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo. Maxima autem copia principiorum ad judicem aut alliciendum, aut incitandum ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa; quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantum

impelli primo judicem leviter, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium adfictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri nolle videantur. Atque ejusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur; sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint *).

b) *De narratione, propositione et partitione.*

Quintilianus (Inst. or. l. IV. c. 2 et 4.)

Maxime naturale est, et fieri frequentissime debet, ut, praeparato per haec, quae supra dicta sunt, judice, res, de qua pronunciaturus est, indicetur. Ea est *narratio* **). In qua sciens transcurram subtiles nimium divisiones quorundam, plura ejus genera facientium. Non enim solam volunt esse illam *negotii*, de quo apud judices quaeritur, expositionem, sed *personae*, *causarum*, quibus historici frequentissime

---

*) Cf. *Cicero*, de Inv. I. c. 15—18. *Quintil.* l. IV. c. 1. *Hermogenes*, de Invent. l. I.

**) Paullo infra *Quintilian.* narrationem ita finit: «*Narratio est rei factae, aut ut factae, utilis ad persuadendum expositio*; vel (ut Apollodorus finit) *oratio docens auditorem, quid in controversia sit.* Eam plerique scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate, volunt esse *lucidam*, *brevem*, *verisimilem*. Neque enim refert, an pro *lucida* perspicuam, pro *verisimili* probabilem credibilemve dicamus. Eadem nobis placet divisio.»

utantur; quum exponunt, unde bellum, seditio, pestilentia. Praeter haec, alias *perfectas*, alias *imperfectas* vocant: quod quis ignorat? Adjiciunt, expositionem et *praeteritorum* esse temporum, quae est frequentissima; et *praesentium*, qualis est Ciceronis de discursu amicorum, Chrysogonus postquam est nominatus *); et *futurorum*, quae solis dari vaticinantibus potest: nam ὑποτύπωσις non est habenda narratio. Sed nos potioribus vacemus.

Plerique semper narrandum putaverunt: quod falsum esse, pluribus coarguitur. Sunt enim ante omnia quaedam tam breves causae, ut propositionem potius habeant, quam narrationem. Id accidit aliquando utrique parti, quum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quaeritur. — — — Aut quum est quidem in re narrationi locus, sed ante aut judici nota sunt omnia, aut priore loco recte exposita. Accidit aliquando alteri, et saepius ab actore: vel quia satis est proponere, vel quia sic magis expedit. —

Ficta interim narratio introduci solet, vel ad concitandos judices, ut pro Roscio circa Chrysogonum, cujus paullo ante habui mentionem: vel ad resolvendos aliqua urbanitate, ut pro Cluentio circa fratres Cepasios: **) interdum per digressionem decoris gratia, qualis rursus in Verrem de Proserpina: *In his quondam locis mater filiam quaesisse dicitur* ***). Quae omnia eo pertinent, ut appareat, non utique non narrare eum, qui negat, sed illud ipsum narrare, quod negat.

*) *Cicero* pro Rosc. Amerin. c. 22.
**) *Cic.* pro Cluent. c. 20 et 21.
***) In Verr. IV. 48.

causa lucidior, sed aliquando etiam, ut magis moveat. Movet autem, si protinus subtexantur aliqua, quae prosint. *Lex aperte scripta est, ut peregrinus, qui murum ascenderit, morte multetur; peregrinum te esse certum est: quin ascenderis murum, non quaeritur: quid superest, nisi, ut te puniri oporteat?* Haec enim propositto confessionem adversarii premit, et quodammodo judicandi moram tollit, nec indicat quaestionem, sed adjuvat.

Sunt autem *propositiones* et *simplices*, et *duplices* vel multiplices. (c. 4.)

Cicero (De Invent. l. I. c. 22.)

Recte habita in causa *partitio* illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Ejus partes duae sunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam, et constituendam pertinet controversiam. Una pars est, quae, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit; ex qua certum quiddam designatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa; ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis, intelligat, fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis, quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur. Quae partitio, quid conveniat, aut quid non conveniat, ostendit, haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: Interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis. Item contra: Interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem, convenit. Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae com-

modo consuluit. Deinde, quid controversiae sit, ponendum est in judicationis expositione; quae quemadmodum inveniretur, ante dictum est. Quae autem partitio rerum distributam continet expositionem, haec habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, quum, nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Haec in hoc genere idcirco utilis est, quod rebus ipsis, et partibus causae, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur; in qua partitione videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permiste cum partibus implicantur. Nam genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal; pars est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo animalis pars est; Thebani aut Trojani genus. Haec ideo diligentius inducitur praescriptio, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur: Ostendam, propter cupiditatem, et audaciam, et avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad rempublicam pervenisse; is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas; ejus autem generis sine dubio pars est avaritia. Hoc igitur vitandum est, ne, cujus genus posueris, ejus secum aliquam, sicut diversam ac dissimilem, partem ponas in eadem partitione. Quodsi quod in genus plures incident partes, id quum in-

prima partitione causae erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo: Ostendam, adversarios, quod arguimus, et potuisse facere, et voluisse, et fecisse; nam fecisse ostendere satis est: *) aut, cum in causa partitio nulla sit, et quiddam simplex agatur, tamen utamur distributione; id quod perraro potest accidere. Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tantopere pertinent: quae versantur in philosophia, ex quibus haec ipsa transtulimus, quae convenire videbantur; quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus. Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine

*) «Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, qua se dicturum esse promisit, primum neminem majoribus criminibus, gravioribus testibus in judicium vocatum, quam Oppianicum; deinde praejudicia esse facta ab iis ipsis judicibus, a quibus condemnatus sit; postremo judicium pecunia tentatum, non a Cluentio, sed contra Cluentium: quia, si probari posset, quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora. Rursus nemo tam erit aut injustus, aut stultus, quin eum fateatur optime pro Murena esse partitum: Intelligo, judices, tres totius accusationis partes fuisse, ut earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Nam sic et ostendit lucidissime causam, et nihil fecit altero supervacuum.» *Quintil.* IV. 5. §. 11. 12.

transigatur: et omnibus explicatis, peroratum sit; hoc modo, ut nequid posterius praeter conclusionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quae cognoscere libertum velit:

> Eo pacto, et gnati vitam, et consilium meum
> Cognosces, et, quid facere in hac re te, velim.

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat primum gnati vitam:

> Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
> Liberius vivendi fuit potestas.

Deinde suum consilium:

> Et nunc id operam do.

Posthaec quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

> Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam quamque partem primum accessit, et omnibus absolutis finem dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, et, omnibus absolutis, perorare *).

c) *De argumentatione.*

Cicero (de Inv. l. I. c. 31 seqq.) **).

Omnis (igitur) *argumentatio* aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Inductio est

*) Cf. *Quintil.* l. IV. c. 5.

**) Cf. *Aristoteles*, Rhet. l. I. c. 2. et l. II. c. 20. *Quintil.* Inst. or. l. V.

oratio, quae rebus non dubiis captat adsensionem ejus, quicum instituta est; quibus adsensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus adsensit, probetur: velut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne, an illius malis? Illius vero, respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. — — — Hoc modo sermonis plurimum Socrates est usus propterea, quod nihil ipse adferre ad persuadendum volebat; sed eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario adprobare deberet. Hoc in genere praecipiendum nobis videtur primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, ejusmodi sit, ut sit necesse concedi: nam ex quo postulabimus, nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cujus confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus: nam, ante aliquid nobis concessum esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id, cujus causa illud concedi primum voluerimus. Deinde non intelligat, quo spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum perventurae: nam qui videt, si rei, quae rogetur, recte adsenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non

respondendo, aut male respondendo, longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si conceditur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars ex similitudine constat una pluribusve; altera ex eo, quod concedi volumus, cujus causa similitudines adhibitae sunt; tertia ex conclusione, quae aut confirmat concessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit. — — — Ac de inductione quidem satis in praesentia dictum videtur. Nunc deinceps *ratiocinationis* vim et naturam consideremus. — —

Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum, sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere, qui diligentius considerandum putaverunt, cum idem usu dicendi sequerentur, paullulum in praecipiendi ratione dissenserunt; nam partim quinque ejus partes esse dixerunt, partim non plus, quam in tres partes posse distribui putaverunt. — — Qui putant, in quinque distribui partes oportere, ajunt, primum convenire exponere summam argumentationis ad hunc modum: Melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur. Hanc primam partem numerant; eam deinceps rationibus variis, et

quam copiosissimis verbis adprobari putant oportere hoc modo: Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus et adparatior, quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia, et temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est: nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur. Quum propositio sit hoc pacto adprobata, et duae partes transierint ratiocinationis, tertia in parte ajunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere adsumere, hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur. Hujus adsumtionis quarto in loco aliam porro inducunt adprobationem hoc modo: Nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant, et annuae commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae, et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulla in re umquam mutatae quiddam nocuerunt: quae signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quinto inducunt loco complexionem eam, quae aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Consilio igitur mundus administratur: aut, unum in locum quum conduxerit breviter propositionem et adsumtionem, id adjungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum: Quodsi melius geruntur ea, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur; nihil autem omnium rerum melius administratur, quam omnis mundus, consilio igitur administratur. — —

(De usu et collocatione argumentorum haec breviter monita habeas).

Quintil. (Inst. or. l. V. c. 12.)

Nunc breviter, quemadmodum sit utendum his *(scilic. quae ad probationem pertinent)* subjungam *). Traditum fere est, *Argumentum oportere esse confessum;* dubiis enim probari dubia qui possunt? Quaedam tamen, quae in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. *Occidisti virum, eras enim adultera.* Prius de adulterio convincendum est, ut, quum id coeperit esse pro certo, fiat incerti argumentum. *Spiculum tuum in corpore occisi inventum est:* negat *suum:* ut probationi prosit, probandum est. Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quae ex dubiis facta sunt certa. *Caedes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti;* non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur. Nam si fatetur, multis ex causis potuit cruenta esse vestis; si negat, hic causae cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset, id posse defendi, si confiteretur.

Firmissimis argumentorum singulis instandum, *infirmiora* congreganda sunt: quia illa, per se fortia, non oportet circumstantibus obscurare, ut, qualia sunt, appareant; haec, imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere,

*) Cf. *Cicer.* De Inv. l. I. c. 38. §. 76. *Variare autem orationem magnopere oportebit; nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem.*

quia magna sunt; valebunt, quia multa sunt, quae ad ejusdem rei probationem omnia spectant. Ut, si quis hereditatis gratia hominem occidisse dicatur, *Hereditatem sperabas, et magnam hereditatem, et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris: et offenderas eum, cujus eras heres, et mutaturum tabulas sciebas.* Singula levia sunt, et communia: universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine.

Quaedam argumenta ponere, satis non est, adjuvanda sunt, ut: *cupiditas causa sceleris fuit*; *quae sit vis ejus: ira; quantum efficiat in animis hominum talis affectio;* ita et firmiora erunt ipsa, et plus habebunt decoris, si non nudos et velut carne spoliatos artus ostenderint. Multum etiam refert, si argumento nitemur odii, *utrum* hoc *ex invidia* sit, *an ex injuria, an ex ambitu? vetus an novum? adversus inferiorem, parem, superiorem? alienum, propinquum?* Suos habent omnia ista tractatus, et ad utilitatem partis ejus, quam tuemur, referenda sunt. Nec tamen omnibus semper, quae invenerimus, argumentis onerandus est judex: quia et taedium afferunt, et fidem detrahunt. Neque enim potest judex credere, satis esse ea potentia, quae non putamus ipsi sufficere, qui diximus. In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre.

His quidam probationes adjiciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas *ex affectibus*. Atque Aristoteles quidem *) potentissimum putat ex eo, qui dicit, si *sit vir bonus:* quod ut optimum est; ita longe quidem, sed sequitur tamen, *videri*. Inde enim illa nobilis

---

*) *Arist.* Rhet. L. I. c. 2. §. 4.

Scauri defensio *), *Q. Varius Sucronensis ait, Aemilium Scaurum rempublicam populi Romani prodidisse; Aemilius Scaurus negat.* Cui simile quiddam fecisse Iphicrates **) dicitur, qui quum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset, *An is accepta pecunia rempublicam proditurus esset?* isque id negasset; *Quod igitur*, inquit, *tu non fecisses, ego feci?* Intuendum autem et, qui sit, apud quem dicimus: et id, quod illi maxime probabile videatur, requirendum: qua de re locuti sumus et prooemii et suasoriae praeceptis ***). Altera *ex affirmatione* probatio est, *Ego hoc feci; Tu mihi hoc dixisti;* et, *O facinus indignum!* et similia; quae non debent quidem deesse orationi, et, si desunt, multum nocent: non tamen habenda sunt inter magna praesidia, quum hoc in eadem causa fieri ex utraque parte similiter possit. Illae firmiores ex sua cujusque persona probationes, quae credibilem rationem subjectam habent: ut *vulneratus, aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quam nocentem; quando, si negotium innocenti facit, liberet eum noxa, qui admiserit.* Hinc et patres adversus suos quisque necessarios auctoritatem petunt.

Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos? an summo, ut inde dimittant? an partita primo summoque, ut Homerica dispositione in medio sint infirma? an a

*) Vid. suppl *Liviana Freinsh.* l. LXXI c. 42. It. *Cicer.* pro Frontejo c. 7. et pro Sext. c. 47.

**) Cf. *Arist.* Rhet. l. II. c. 23. §. 7. — De *Aristophonte* vid. *Ruhnken.* hist. crit. oratt. p. 45. et *Wolfius* ad Leptineam p. 367.

***) Cf. L. IV. c. 1. §. 17 seqq. Item l. III. c. 8. §. 36 seqq.

minimis crescant? Quae, prout ratio causae cujusque postulabit, ordinabuntur, uno (ut ego censeo) excepto, *ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio.*

Not. Refutatio s. reprehensio, nec minus sententiae (γνῶμαι) cum auctoritate et testimoniis ad argumentationem proxime pertinent: quapropter pauca etiam de his hoc ipso loco subjungantur.

Refutatio s. reprehensio.

Quintil. (Inst. orat. l. V. c. 13.)

Refutatio dupliciter accipi potest. Nam et pars defensoris tota est posita in refutatione: et quae dicta sunt ex diverso, debent utrinque dissolvi. Et haec est proprie, cui in causis quartus assignatur locus. Sed utriusque similis conditio est. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in confirmatione: nec locorum, aut sententiarum, aut verborum et figurarum alia conditio est. Affectus plerumque haec pars mitiores habet.

Non sine causa tamen difficilius semper est creditum (quod Cicero saepe testatur) *defendere*, quam *accusare.* Primum, quod est res illa simplicior: proponitur enim uno modo, dissolvitur varie: quum accusatori satis sit plerumque, verum esse id, quod objecerit: patronus *neget, defendat, transferat, excuset, deprecatur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat:* quare inde recta fere *), atque, ut sic dixerim, clamosa est actio: hinc mille flexus et artes desiderantur. Tum accusator praemeditata pleraque domo affert: patronus etiam inopinatis frequenter

*) Plerumque legitur: *indirecta* pro inde recta.

occurrit. Accusator dat testem; patronus ex re ipsa refellit. Accusator criminum invidia, vel si falsa sint, materiam dicendi trahit, de *parricidio, sacrilegio, majestate:* quae patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus, fuit. Nam ut, quod sentio, semel finiam, tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera, facilius.

Plurimum autem refert, et *quid* protulerit adversarius, et *quomodo*.

Cicero (de Inv. l. I. c. 4. §. 78 seqq.)

Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut adlevatur. Haec fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari; nihil enim considerandum est in his omnibus inventionibus, nisi id, quod personis, aut negotiis attributum est. Quare inventionem, et argumentationum expolitionem ex illis, quae ante praecepta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quaedam praeceptio detur hujus quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt. Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quae sumpta sunt, non conceditur aliquod unum plurave: aut his concessis, complexio confici ex his negatur: aut, si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur, aut, si contra firmam argumentationem aliqua aeque firma, aut firmior ponitur.

Sententiae.

Aristoteles (Rhet. l. II. c. 21.)

Περὶ δὲ γνωμολογίας, ῥηθέντος, τί ἐστι γνώμη, μάλιστ' ἂν γένοιτο φανερὸν, περὶ ποίων τε, καὶ πότε, καὶ τίσιν ἁρμόττει χρῆσθαι τῷ γνωμολογεῖν ἐν τοῖς λόγοις. Ἔστι δὲ γνώμη ἀπόφανσις, οὐ μέντοι περὶ τῶν καθέκαστον· οἷον, ποῖός τις Ἰφικράτης· ἀλλὰ καθόλου· οὔτε περὶ πάντων καθόλου· οἷον, ὅτι, τὸ εὐθὺ τῷ καμπύλῳ ἐναντίον· ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶ, καὶ αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράσσειν· ὥστ', ἐπεὶ τὰ ἐνθυμήματα ὁ περὶ τοιούτων συλλογισμός ἐστι, σχεδὸν τά τε συμπεράσματα τῶν ἐνθυμημάτων, καὶ αἱ ἀρχαὶ, ἀφαιρεθέντος τοῦ συλλογισμοῦ, γνῶμαί εἰσιν. — — — Ἁρμόττει δὲ γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ μὲν πρεσβύτερον· περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔμπειρός τις ἐστίν. ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικοῦτον ὄντα γνωμολογεῖν, ἀπρεπὲς, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν· τὸ δὲ, περὶ ὧν ἄπειρος, ἠλίθιον καὶ ἀπαίδευτον. σημεῖον δ' ἱκανόν· οἱ γὰρ ἀγροῖκοι μάλιστα γνωμοτύποι εἰσὶ, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται. — — — Χρῆσθαι δὲ δεῖ καὶ ταῖς τεθρυλλημέναις καὶ κοιναῖς γνώμαις, ἂν ὦσι χρήσιμοι· διὰ γὰρ τὸ εἶναι κοιναὶ, ὡς ὁμολογούντων ἁπάντων, ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν. — — Ἔτι ἔνιαι τῶν παροιμιῶν καὶ γνῶμαι εἰσιν· οἷον παροιμία «Ἀττικὸς πάροικος.» Δεῖ δὲ τὰς γνώμας λέγειν καὶ παρὰ τὰ δεδημοσιευμένα· (λέγω δὲ δεδημοσιευμένα, οἷον τὸ, Γνῶθι σαυτόν· καὶ τὸ, Μηδὲν ἄγαν·) ὅταν ἢ τὸ ἦθος φαίνεσθαι μέλλοι βέλτιον, ἢ παθητικῶς εἰρημένον ἐστιν. — — Ἠθικοὺς ποιεῖ τοὺς λόγους (scilic. τὸ γνωμολογεῖν). — — Αἱ δὲ γνῶμαι πᾶσαι τοῦτο ποιοῦσι, διὰ τὸ ἀποφαίνεσθαι τὸν τὴν γνώμην λέγοντα καθόλου περὶ τῶν προαιρετῶν· ὥστ' ἂν χρησταὶ

ὦσιν αἱ γνῶμαι, καὶ χρηστοήθη φαίνεσθαι ποιοῦσι τὸν λέγοντα *).

*) *Sed sententiarum ornamenta majora sunt; quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt, qui putent, idcirco ejus eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine quadam conformatione sententiae dicitur: nec aliud quidquam est, dicere, nisi omnes aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias. Cicero* (orat. c. 39. §. 136.)

Sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Id quum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam et juraturi *ex animi nostri sententia*, et gratulantes *ex sententia* dicimus. Non raro tamen et sic locuti sunt, ut *sensa* sua dicerent: nam *sensus* corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta *sensus* vocaremus; lumina autem, praecipueque in clausulis posita, *sententias*. Quae, minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Ideoque mihi et de generibus earum, et de usu arbitror pauca dicenda.

Antiquissimae sunt, quae proprie, quamvis omnibus idem nomen sit, *sententiae* vocantur, quas Graeci γνώμας appellant: utrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis. Est autem haec vox universalis, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata; ut, *Nihil est tam populare, quam bonitas;* interim ad personam; quale est Afri Domitii, *Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.* Hanc quidam partem *enthymematis*, quidam initium aut clausulam *epicherematis* esse dixerunt: et est aliquando, non tamen semper. Illud verius, esse eam aliquando *simplicem*, ut ea, quae supra dixi; aliquando ratione subjecta, *Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur:* nonnunquam *duplicem*, *Obsequium amicos, veritas odium parit.*

Auctoritas et testimonium.

Quintil. (Inst. or. l. V. c. 11.)

Adhibetur extrinsecus in causam et AUCTORITAS. Haec sequuti Graecos, a quibus κρίσεις dicuntur, judicia aut judicationes vocant, non de quibus ex causa dicta sententia est; (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) sed si quid ita visum gentibus, populis, sapientibus viris, claris civibus, illustribus

---

Sunt etiam, qui decem genera fecerint, sed eo modo, quo fieri vel plura possunt, *per interrogationem, per comparationem, infitiationem, similitudinem, admirationem*, et cetera hujusmodi: per omnes enim figuras tractari potest. Illud notabile *ex diversis, Mors misera non est, aditus ad mortem est miser.* Ac rectae quidem sunt tales, *Tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.* Sed majorem vim accipiunt emutatione figurae, ut,

Usque adeone mori miserum est? — —

Acrius enim hoc, quam per se, *Mors misera non est.* Et *translatione* a communi ad proprium. Nam, quum sit rectum, *Nocere facile est, prodesse difficile:* vehementius apud Ovidium Medea dicit:

Servare potui, perdere an possim, rogas?

Vertit ad personam *Cicero, Nihil habet, Caesar, nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos.* Ita, quae erant rerum, propria fecit hominis. In hoc genere custodiendum est, id quod ubique, ne *crebrae* sint, ne *palam falsae* (quales frequenter ab iis dicuntur, qui haec καθολικὰ vocant: et, quicquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronunciant), ne *passim* et *a quocunque* dicantur. Magis enim decent eos, in quibus est auctoritas, ut rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si judicet in dicendo, et quodammodo praecipiat? (*Quint.* l. VIII. c. 5.)

poetis referri potest. Nec haec quidem vulgo dicta et recepta persuasione populari sine usu fuerint. Testimonia sunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non causis accommodata, sed liberis odio et gratia mentibus ideo tantum dicta factaque, quia aut honestissima, aut verissima videbantur. An vero me de incommodis vitae differentem non adjuvabit earum persuasio nationum, quae fletibus natos, laetitia defunctos prosequuntur? *) Aut si misericordiam commendabo judici, nihil proderit, quod prudentissima civitas Atheniensium, *non eam pro adfectu, sed pro numine accepit* **). Jam illa septem praecepta sapientum, nonne quasdam vitae leges existimamus? — — Jam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertae, sed libri etiam philosophorum; qui, quamquam inferiora omnia praeceptis suis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt. Neque est ignobile exemplum, Megareos ab Atheniensibus, quum de Salamine contenderent, victos Homeri versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans, Ajacem naves suas Atheniensibus junxisse ***). Ea quoque, quae vulgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt, quale est: *Ubi amici, ibi opes* ****), et: *Conscientia mille testes.*

*) Vid. *Herod.* l. V. c. 4. et *Sext. Empiricus* Pyrrh. Hypot. III. 232.

**) Sacrata illi ara, ἐλέου βωμὸς vocata, in foro Athenarum fuit. Cf. *Sextus Empiricus* contra Matth. IX, 187. et *Apollod.* Bibl. II. 8, 1.

***) Il. II. 558. Cf. *Plutarchus* et *Diogenes Laertius* in Solone, atque *Clarkius* ad hunc ipsum versum. Item *Aristot.* Rhet. I. c. 15. §. 13.

****) Locum ipsum habes ap. *Plaut.* Trucul. 4, 4, 32.

Et apud Ciceronem: « *Pares autem, (ut est in vetere proverbio), cum paribus facillime congregantur* » *). Neque enim durassent haec in aeternum, nisi vera omnibus viderentur.

Cicero (Topic. c. 19 et 20.)

Haec argumentatio, quae dicitur artis expers, in *testimonio* posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Persona autem non qualiscunque testimonii pondus habet; ad faciendam enim fidem auctoritas quaeritur, sed auctoritatem aut natura aut tempus affert. Naturae auctoritas in virtute inest maxime; in tempore autem multa sunt, quae afferant auctoritatem: ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnumquam rerum fortuitarum. Nam et ingeniosos, et opulentos, et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant; non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, et qui judicant et qui existimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeravi, quamquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quaedam adhibetur (magna est enim vis ad persuadendum scientiae) aut usus; plerumque enim creditur iis, qui experti sunt. — Facit etiam necessitas fidem, quae quum e corporibus, tum ab animis nascitur. — Concursio autem fortuitorum talis est, ut, si interventum est casu, quum aut ageretur aliquid, quod proferen-

*) *Cic.* de Senect. c. 3.

dum non esset, aut diceretur. — Hujus etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. Quae autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt; ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit, hominum autem industria *).

d) *De epilogo s. peroratione.*

Aristoteles (Rhet. l. III. c. 19.) **).

Ὁ δ' ἐπίλογος σύγκειται ἐκ τεττάρων, ἔκ τε τοῦ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως· καὶ ἐκ τοῦ αὐξῆσαι καὶ ταπεινῶσαι· καὶ ἐκ τοῦ εἰς τὰ πάθη τὸν ἀκροατὴν καταστῆσαι· καὶ ἐξ ἀναμνήσεως. πέφυκε γὰρ μετὰ τὸ ἀποδεῖξαι, αὐτὸν μὲν ἀληθῆ, τὸν δὲ ἐναντίον ψευδῆ, οὕτω τὸ ἐπαινεῖν, καὶ ψέγειν, καὶ ἐπιχαλκεύειν. δυοῖν δὲ θατέρου δεῖ στοχάζεσθαι, ἢ ὅτι τούτοις ἀγαθὸς, ἢ ὅτι ἁπλῶς· ὁ δὲ ὅτι κακὸς τούτοις, ἢ ὅτι ἁπλῶς. — Τὸ δὲ μετὰ τοῦτο, δεδειγμένων ἤδη, αὔξειν ἐστὶ κατὰ φύσιν, καὶ ταπεινοῦν· δεῖ γὰρ τὰ πεπραγμένα ὁμολογεῖσθαι, εἰ μέλλει τὸ ποσὸν εἰρεῖν. — Μετὰ δὲ ταῦτα δήλων ὄντων καὶ οἷα καὶ ἡλίκα, εἰς τὰ πάθη

*) Circa testimonia et auctoritatem comparand. *Aristot.* Rhet. l. I. c. 15. et *Quint.* Inst. or. l. V. c. 7.

**) *Platonis* de epilogo sententiam his breviter expressam legas: Τὸ δὲ δὴ τέλως τῶν λόγων κοινῇ πᾶσιν ἔοικε συνδεδογμένον εἶναι· ᾧ τινες μὲν ἐπάνοδον, ἄλλοι δὲ ἄλλο τίθενται ὄνομα. *Phaedr.* Τὸ ἐν κεφαλαίῳ ἕκαστα λέγεις ὑπομνῆσαι ἐπὶ τελευτῆς τοὺς ἀκούοντας περὶ τῶν εἰρημένων. *Socr.* Ταῦτα λέγω, καὶ εἴτι σὺ ἄλλο ἔχεις εἰπεῖν λόγων τέχνης πέρι. *Phaedr.* Σμικρά γε, καὶ οὐκ ἄξια λέγειν. (*Phaedrus*, p. 365.)

ἄγειν τὸν ἀκροατήν· ταῦτα δ' ἐστὶν, ἔλεος, καὶ δείνωσις, καὶ ὀργὴ, καὶ μῖσος, καὶ φθόνος, καὶ ζῆλος, καὶ ἔρις· εἴρηνται δὲ καὶ τούτων οἱ τόποι πρότερον *). Ὥστε λοιπὸν, ἀναμνῆσαι τὰ προειρημένα. τοῦτο δὲ ἁρμόττει ποιεῖν οὕτως, ὥσπερ φασὶν ἐν τοῖς προοιμίοις, οὐκ ὀρθῶς λέγοντες· ἵνα γὰρ εὐμαθῆ ᾖ, κελεύουσι πολλάκις εἰπεῖν. ἐκεῖ μὲν οὖν δεῖ τὸ πρᾶγμα εἰπεῖν, ἵνα μὴ λανθάνῃ, περὶ οὗ ἡ κρίσις· ἐνταῦθα δὲ, δι' ὧν δέδεικται, κεφαλαιωδῶς.

Cicero (De Invent. l. I. c. 52 seqq.)

Conclusio est exitus et determinatio totius oratiotionis. Haec habet partes *tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. Enumeratio* est, per quam res disperse et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub adspectum subjiciuntur. Haec si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur; sin varie (fiet), et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facillitatem, singillatim unam quamque rem attingere, et ita omnes transire breviter argumentationes; tum autem id, quod difficilius est, dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unam quamque partem confirmaris: tum ab iis, qui audiunt, quaerere, quid sit, quod sibi velle debeant, demonstrari [hoc modo: Illud docuimus, illud planum fecimus]. Ita simul et in memoriam redibit auditor, et putabit, nihil esse praeterea, quod debeat deside-

---

*) Rhet. l. II. c. 1 seqq.

rare. — — Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unumquodque quam brevissime transeatur, ut memoria, non oratio, renovata videatur. — — — *Indignatio* est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex locis iis, quos in confirmandi praeceptis posuimus, tractari indignationem; nam ex iis rebus, quae personis atque negotiis attributae sunt, quaevis amplificationes et indignationes nasci possunt: sed tamen ea, quae separatim de indignatione praecipi possunt, consideremus. Primus locus sumitur ab *auctoritate*, quum commemoramus, quantae curae res ea fuerit aut Diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas gravissima debeat esse. Qui locus sumetur ex sortibus, ex oraculis, vatibus, ostentis, prodigiis, responsis, et similibus rebus, item ex majoribus nostris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatu, populo, legum scriptoribus. Secundus locus est, per quem, illa res ad quos pertineat, cum amplificatione, per *indignationem*, ostenditur, an ad omneis, an ad majorem partem, quod atrocissimum est: an ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum est: an ad pareis animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est: an ad inferiores, quod superbissimum est. Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam sit *eventurum*, si idem caeteri faciant: et simul ostendimus, huic si concessum sit, multos aemulos ejusdem audaciae futuros: ex quo,

quid mali sit eventurum, demonstrabimus. Quartus locus est, per quem demonstramus, multos alacreis *exspectare*, quid statuatur, ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi quoque tali de re quid liceat, intelligere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus, caeteras res perperam constitutas, intellecta *veritate*, commutatas corrigi posse: hanc esse rem, quae, si sit semel judicata, neque alio commutari judicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem *consulto*, et de industria factum esse demonstratur, et illud adjungitur, VOLUNTARIO maleficio veniam dari non oportere: imprudentiae concedi, nonnumquam convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod taetrum, crudele, nefarium, *tyrannicum* factum esse dicamus, per vim, per manum opulentam, quae res ab legibus, et ab aequabili jure remotissima sit. Octavus locus est per quem demonstramus, non *vulgare*, neque factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur, atque id a feris quoque hominibus, et a barbaris gentibus, et immanibus bestiis remotum esse. Haec erunt, quae in parentes, liberos, conjuges, consanguineos, supplices, crudeliter facta dicentur: et deinceps si qua proferantur in majores natu, in hospites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuscum vitam egeris, in eos, apud quos educatus sis, in eos, a quibus eruditus; in mortuos, in miseros, et misericordia dignos, in homines claros, nobiles, et honore usos, in eos, qui neque laedere alium, nec se defendere potuerunt, ut in pueros, senes, mulieres: quibus omnibus acriter excitata indignatio, summum in eum, qui violarit horum aliquid, odium commovere poterit. Nonus locus est, per quem,

cum aliis, quae constat esse peccata, hoc, quo de quaestio est, *comparatur:* et ita per contentionem, quanto atrocius et indignius sit illud, quo de agitur, ostenditur. Decimus locus, per quem omnia, quae in negotio gerendo *acta* sunt, quaeque post negotium consecuta sunt, cum uniuscujusque indignatione et criminatione colligimus, et rem verbis quam maxime ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum est perinde illi videatur indignum: ac si ipse interfuerit, ac praesens viderit. Undecimus locus est, per quem ostendimus, ab eo factum, a quo *minime oportuerit*, et a quo, si alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod *nobis* hoc primis acciderit, nec alicui unquam usu evenerit. Tertiusdecimus locus est, si cum injuria *contumelia* juncta demonstratur, per quem locum in superbiam et arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus est, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut *ad suas res* nostras injurias referant: si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent: si ad mulieres, de uxoribus: si ad senes, de patribus aut parentibus. Quintusdecimus locus est, per quem dicimus, inimicis quoque et hostibus ea, quae nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio quidem his fere de locis gravissime sumetur. — [*Conquestionis* autem hujusmodi de rebus partes petere oportebit.] Conquestio est oratio, auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos Fortunae vis in omnes, et hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita graviter et sententiose,

maxime demittitur animus hominum, et ad misericordiam comparatur; cum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. Deinde primus locus est misericordiae, per quem, quibus in bonis *fuerint*, et nunc, quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis *fuerint*, et sint, et futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unumquodque *deploratur* incommodum, ut in morte filii, pueritiae delectatio, amor, spes, solatium, educatio, et, si qua simili in genere, quolibet de incommodo per conquestionem dici poterunt. Quartus, per quem res *turpes*, et humiles, et illiberales proferentur, et indignae aetate, genere, fortuna, pristino honore, beneficiis: quas passi, perpessurive sint. Quintus est, per quem omnia ante *oculos* singillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, et re quoque ipsa, quasi adsit, non verbis solum, ad misericordiam ducatur. Sextus, per quem praeter *spem* in miseriis demonstratur esse; et, cum aliquid exspectaret, non modo id non adeptum esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus, per quem *ad ipsos*, qui audiunt, similem casum convertimus et petimus, ut de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos cum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur esse *factum*, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non postremam ejus vocem audivi, non extremum ejus spiritum excepi. Item, inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter jacuit insepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad *mutas*, et expertes animi res refertur:

ut, si ad equum, domum, vestem, sermonem alicujus accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, et aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur. Undeçimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut sui corporis *sepeliendi*, aut alicujus ejusmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem *disjunctio* deploratur ab aliquo, cum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime *conveniat*, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus, aut a quibus indignum est; ut servis, libertis, clientibus, supplicibus. Quartusdecimus, qui per *obsecrationem* sumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur. Quintusdecimus, per quem non nostras, sed eorum, qui *çari* nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextusdecimus est, per quem animum nostrum *in alios* misericordem esse ostendimus, et tamen amplum, et excelsum, et patientem incommodorum esse, et futurum, si quid acciderit, demonstramus: nam saepe virtus, et magnificentia, in qua gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio. Commotis autem animis, diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, LACRIMA NIHIL CITIUS ARESCIT.

Quintil. (Inst. or. l. VI. ç. 1.)

Peroratio sequebatur, quam *cumulum* quidam, *conclusionem* alii vocant. Ejus duplex ratio est, posita aut in rebus, aut in affectibus.

Rerum repetitio et congregatio, quae Graece dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibusdam Latinorum *enumeratio*, et memoriam judicis reficit, et totam simul causam ponit ante oculos, et, etiamsi per singula minus moverat, turba valet. In hac, quae repetemus, quam brevissime dicenda sunt, et, quod Graeco verbo patet, decurrendum per capita. Nam, si morabimur, non jam enumeratio, sed quasi altera fiet oratio. Quae autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis et figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriae judicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimeque in Verrem Cicero, *Si pater ipse judicaret, quae diceret, quum haec probarentur?* et deinde subjecit enumerationem: aut, quum idem in eundem, per invocationem deorum *spoliata a praetore templa* dinumerat *). Licet et dubitare, num quid nos fugerit: et, quid responsuri sint adversarii his et his: aut, quam spem accusator habeat omnibus ita defensis. Illa vero jucundissima, si contingat aliquod ex adversario ducere argumentum: ut, si dicas, *Reliquit vero hanc partem causae*; aut, *Invidia premere maluit;* aut, *Ad preces confugit; et merito, quum sciret haec et haec.* Sed non sunt singulae species persequendae, ne sola videantur, quae forte nunc dixero: quum occasiones et ex causis, et ex dictis adversariorum, et ex quibusdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo nostra, sed postulandum etiam ab adversariis, ut ad quaedam respondeant. Id autem, si et actionis superrit locus, et ea proposuerimus, quae refelli non possunt. Nam provocare, quae inde sint fortia, non

---

*) *Cicer.* in Verr. V. 2. et c. 27.

arguentis est, sed monentis. Id unum epilogi genus visum est plerisque Atticorum, et philosophis fere omnibus, qui de arte oratoria scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per praeconem prohibebatur orator *). Philosophos minus miror, apud quos vitii loco est, affici: nec boni mores videntur, sic a vero judicem averti: nec convenire bono viro, vitiis uti. Necessarios tamen affectus fatebuntur, si aliter obtineri vera et justa, et in commune profutura non possint. Ceterum illud constitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, si multiplex causa sit et pluribus argumentis defensa, utiliter ἀνακεφαλαίωσιν fieri solere: sicut nemo dubitaverit, multas esse causas, in quibus nullo loco sit necessaria, si breves et simplices fuerint. Haec pars perorationis accusatori patronoque ex aequo communis est.

Affectibus quoque iisdem fere utuntur: sed rarius hic, ille saepius ac magis. Nam huic, concitare judices, illi, flectere, convenit. Verum et accusator habet interim lacrimas ex miseratione ejus rei, quam ulciscitur: et reus de indignitate calumniae conspirationis vehementius interim queritur. Dividere igitur haec officia commodissimum, quae plerumque sunt, ut dixi **), prooemio similia, sed liberiora plenioraque. Inclinatio enim judicum ad nos petitur initio parcius, quum admitti satis est, et oratio tota superest: in epilogo vero est, qualem animum judex in consilium ferat, et jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat, quo servemus. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab adversario judicem, concitare

*) Cf. supra p. 286. not. 3.

**) Respicere videtur ad l. IV. c. 1. §. 27 et 28.

affectus et componere. Et brevissimum quidem hoc praeceptum dari utrique parti potest, ut totas causae vires orator ante oculos ponat: et, quum viderit, quid *invidiosum, favorabile, invisum, miserabile* aut sit in rebus, aut videri possit, ea dicat, quibus, si judex esset, ipse maxime moveretur *).

§. 63.

De elocutione oratoria **).

Cicero (Orator).

Quamquam omnis locutio oratio est, tamen unius *oratoris* locutio hoc proprio signata nomine est. (c. 19. §. 64.) — Is est eloquens, qui et humilia subtiliter, et magna graviter et mediocria temperate potest dicere. (Ibid. c. 29. §. 100.) — — Sed jam forma ipsa restat, et *character* ille, qui dicitur: qui qualis esse debeat, ex ipsis, quae supra dicta sunt, intelligi potest. Nam et singulorum verborum et collocatorum lumina attigimus: quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat: ex omnique genere frequentissimae *translationes* erunt, quod eae propter similitudinem transferunt animos, et referunt, ac movent huc, et illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus, per se ipse delectat. Et reliqua, ex collocatione verborum quae sumuntur, quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scenae, aut fori appellantur *insignia:* non quod sola

*) De meditandae atque disponendae orationis vitiis praeclarissime monet *Dionys. Halic.* (Ars rhet. c. 10. Vol. V. p 373—395. E. W.)

**) Cf supra §. 54. ubi de elocutione prosaica universa praeceptum est.

ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quae sunt orationis lumina, et quodammodo insignia: cum aut duplicantur, iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio, aut in idem conjicitur, aut in utrumque, aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt, aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim sursum versus reditur: aut cum demtis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur: aut cum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, ostendimus, cur cum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes: aut si est aliqua exclamatio vel admirationis vel conquestionis: aut cum ejusdem nominis casus saepius commutatur (c. 39. §. 131 seq.)

Sequitur (ergo) ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. Sunt enim, qui jambicum putent, quod sit orationi simillimus: qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis; quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. Ephorus autem, levis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina, paeona sequitur, aut dactylum: fugit autem spondeum et trochaeum. Quod enim paeon habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius: contraque accidere in spondeo et trochaeo, quod alter longis constaret, alter e brevibus fieret: alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed et illi priores errant, et Ephorus in culpa est; nam et qui paeona

praetereunt, non vident molissimum a sese numerum, eumdemque amplissimum praeteriri. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui judicat, heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio: jambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat: plenam tamen eam vult esse *gravitatis*, ut eos, qui audient, ad majorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, *cordacem* appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita paeona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, cum utantur: esse autem tertium ac medium inter illos: sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par *). Itaque illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Jambus enim et dactylus in versum cadunt maxime; itaque, ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam *inimicius*, quam illa, versibus. Paeon autem minime est aptus ad versum, quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat; syllabis enim metiendos pedes, non intervallis, existimat: quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par jambo: sed eo vitiosus in oratione, si ponatur extremus, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Atque haec, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto, Theodecteque de paeone dicuntur. Ego autem sentio,

*) *Arist.* Rhet. l. III. c. 8. §. 4.

omnes in oratione esse quasi permistos et confusos pedes: nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa esse, ut poëma; neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum, ac vulgare videatur: ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur (ut supra dixi) permista, et temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, paeone maxime (quoniam optimus auctor ita censet), sed reliquis etiam numeris, quos ille praeterit, temperata. Quos autem numeros, cum quibus, tanquam *purpuram*, misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint cuique accommodatissimi; jambus enim frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur. Paeon autem in amplioribus: in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi; sic minime animadvertetur delectationis *aucupium*, et quadrandae orationis industria: quae latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, haec duo animadvertunt, et jucunda sibi censent, verba dico et sententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt fugit eos et praetervolat numerus: qui tamen si abesset illa ipsa delectarent. Nec vero nimius is cursus est numerorum, orationis dico (nam est longe aliter in versibus), nihil ut fiat *extra modum;* nam id quidem esset poëma: sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, et aequaliter, constanterque ingrediens, numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat e numeris,

sed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius est oratione uti, quam versibus: quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse: in dicendo autem nihil est propositum, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio et species orationis, clausa et terminata est: quod *voluptate aurium* judicatur. Solet autem quaeri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis. Plerique enim censent, cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum; ponendus est enim ille ambitus, non abjiciendus. Quare cum aures extremum semper exspectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet: sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quaecumque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt: quae mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat: quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur: atque omnia illa et prima et media verba spectare debent ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio: ut jam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis orationis, eadem cum faciamus, quae poëtae, effugimus tamen

in oratione poëmatis similitudinem. Est enim in utroque et materia et tractatio: materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternae autem sunt utriusque partes verborum: translatum, novum, priscum; nam de propriis nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem, eae, quas diximus: compositio, concinnitas, numerus; sed in utroque frequentiores sunt, et liberiores poëtae. Nam et transferunt verba cum crebrius, tum etiam audacius: et priscis libentius utuntur, et liberius novis. Quod idem fit in numeris, in quibus quasi *necessitati* parere coguntur: sed tamen haec nec nimis esse diversa, neque ullo modo conjuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet; idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnumquam, aut concinnitate, aut constructione verborum. Ita, si numerus orationis quaeritur, qui sit: omnis est: sed alius alio melior atque aptior; si locus: in omni parte verborum; si, unde ortus sit: ex aurium voluptate; si componendorum ratio: dicetur alio loco, quia pertinet ad usum, quae pars quarta et extrema nobis in dividendo fuit; si, ad quam rem adhibeatur: ad delectationem; si, quando: semper; si, quo loco: in tota continuatione verborum; si quae res efficiat voluptatem: eadem, quae in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsae tacito cum sensu sine arte definiunt. (Ibid. c. 57—59.) *).

Nota. *Longum foret,* ea, quae de ORATIONUM VARIETATE *apud veteres scriptores habentur, huc transcribere. Qui circa*

*) De genere elocutionis oratoriae pro varietate generis orationis, scilic. deliberativi, judicialis et demonstrativi, vario cf. *Aristot.* Rhet. III. c. 12. §. 5.

hanc rem accuratiora antiquitatis praecepta cognoscere velit, adeat Dionysium Halicarn., qui in *arte sua rhetorica* fere *totus est in explicandis singulis orationum speciebus.*

CAPUT II.

De reliquis artis prosaicae generibus.

(Praeter oratorium antiqui vix aliud artis prosaicae genus praeceptis suis attigerunt. Perpauca, eademque maximam partem ἐν παρόδῳ tantummodo de philosophiae, historiae epistolarumque arte dicta offendes. Quae jam sequuntur, hujusmodi praeceptorum summam fere continent).

§. 64.

De genere didactico *).

(Quae circa hoc genus reperiuntur apud veteres scriptores praecepta, ad solam fere *philosophiam* pertinent; quod interim non obstat, quominus magnam partem de reliquis quoque doctrinis valere possint).

Cicero (Orat. c. 19.)

Quamquam et Philosophi quidam ornate loquuti sunt (siquidem et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce Musas quasi loquutas ferunt; et longe omnium, quicumque scripserunt aut loquuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato); tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare. Sic de rebus placatis ac minime turbulentis, docendi causa non

*) Cf. Aesthet. lit. *vern.* Tom. II. §. 297 seqq.

capiendi loquuntur; ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, (i. e. *oratoriam*) secernere. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque sermo potius, quam oratio dicitur. Quamquam enim omnis loquutio oratio est, tamen unius oratoris loquutio hoc proprio signata nomine est.

Seneca (Ep. 100.)

Fabiani Papirii *) libros, qui inscribuntur *Civilium*, legisse cupidissime scribis: sed non respondisse expectationi tuae; deinde oblitus, de philosopho agi, compositionem ejus accusas. Puta esse, quod dicis: et effundi verba, non fingi. Primum habet ista res suam gratiam: et est decor proprius orationis leniter lapsae. Multum enim interesse existimo, utrum exciderit, an fluxerit. Nunc in hoc quoque, quod dicturus sum, ingens differentia est. Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere: adeo larga est, et sine perturbatione, non sine cursu tamen, veniens. Illud plane fatetur et praefert, non esse se tractatam, non diu tortam. Sed ita, ut vis, esse credamus: mores ille, non verba composuit; et animis scripsit ista, non auribus. Praeterea, ipso

*) Hujus viri, cujus Seneca aliis passim locis magnam laudem celebrat, scripta omnia perierunt.

dicente non vacasset tibi, partes intueri: adeo te summa rapuisset: et fere quae impetu placent, minus praestant ad manum relata. Sed illud quoque multum est, primo aspectu oculos occupasse, etiamsi contemplatio diligens inventura est, quod arguat. Si me interrogas, major ille est, qui judicium abstulit, quam qui meruit. Et scio hunc tutiorem esse: scio audacius sibi de futuro promittere. Oratio solicita philosophum non decet. Ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui faciet, qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus: itaque nihil invenies sordidum. Electa verba sunt, non captata: nec hujus saeculi more contra naturam suam posita et inversa; splendida tamen, quamvis sumantur e medio: sensus honestos et magnificos habent, non coactos in sententiam, sed altius ductos. Videbimus, quid parum recisum sit, quid parum structum, quid non hujus recentis politurae: cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes. Desit sane varietas marmorum, et concisura aquarum cubiculis interfluentium, et pauperis cella *), et quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet: quod dici solet, *domus recta est.* Adjice nunc, quod de compositione non constat. Quidam illam volunt esse ex horrido comptam: quidam usque eo aspera gaudent, ut etiam, quae mollius ca-

*) Dividere aquas per minutos canales in coenationibus praesertim aestivis Romani consueverunt. Cf. *Senec.* De Tranquil. anim. c. 1. «Quid perlucentes ad imum aquas et circumfluentes ipsa convivia?» — *Pauperis cella* secundum *Lipsium* distinctum fuisse videtur cubiculum, ubi certis diebus pauperum instar coenabant divites.

sus explicuit, ex industria dissipent, et clausulas abrumpant, ne ad exspectatum respondeant. Lege Ciceronem; compositio ejus una est: pedem servat, curata, lenta, et sine infamia mollis. At contra, Pollionis Asinii salebrosa et exsiliens, et ubi minime exspectes, relictura *). Denique apud Ciceronem omnia desinunt; apud Pollionem cadunt, exceptis paucissimis, quae ad certum modum et ad unum exemplar, adstricta sunt. Humilia praeterea tibi videri dicis omnia, et parum erecta: quo vitio carere eum judico. Non sunt humilia illa, sed placida; sunt enim tenore quieto compositoque formata, nec depressa, sed plana. Deest illis oratorius vigor stimulique, quos quaeris, et subiti ictus sententiarum: sed totum corpus videris; quamvis sit incomptum, honestum est. Non habet oratio ejus, sed debet dignitatem. Affer, quem Fabiano possis praeponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad philosophiam pertinentes, paene totidem sunt, quot Fabiani. Cedam; sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem. Cedam; et respondeamus: In re tanta eminere est, et post duos esse. Nomina adhuc Livium. Scripsit enim et dialogos, quos non magis philosophiae annumerare possis, quam historiae: et ex professo philosophiam continentes libros **). Huic quoque dabo locum: vide tamen, quam multos antecedat, qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis. Sed non praestat omnia; non est fortis oratio ejus, quamvis elata sit: non est violenta, nec tor-

*) Cf. de Asinio Poll. *Quintiliani* (l. X. c. 1. §. 113.) judicium, quod fere eodem redit.

**) Periisse illa a Seneca memoratos Livii scripta, constat.

rens, quamvis effusa sit: non est perspicua, sed pura. Desideres, inquies, contra vitia aliquid aspere dici, contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem contumeliose. Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi: sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. Vis illum assidere pusillae rei verbis? Ille rerum se magnitudini addixit: eloquentiam, velut umbram, non hoc agens, trahit. Non erunt sine dubio singula circumspecta, nec in se collecta, nec omne verbum excitabit ac punget; fateor: exibunt multa, nec ferient, et interdum otiosa praeterlabetur oratio: sed multum erit in omnibus locis, et ingens sine taedio spatium. Denique illud praestabit, ut liqueat tibi, illum sensisse, quae scripsit. Intelliges actum hoc, ut tu scires, quid illi placeret; non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, et ad bonam mentem: non quaeritur plausus. Talia esse scripta ejus non dubito, etiam si magis reminiscor quam teneo: haeretque mihi color eorum, non ex recenti conversatione familiariter, sed summatim, ut solet ex vetere notitia. Cum audirem certe illum, talia mihi videbantur: non solida, sed plena, quae adolescentem indolis bonae attollerent, et ad imitationem sui vocarent, sine desperatione vincendi; quae mihi adhortatio videtur efficacissima. Deterret enim, qui imitandi cupiditatem modo fecit, spem abstulit. Ceterum verbis abundat, sine commendatione partium singularum, in universum magnificus *).

*) Comparanda omnino est *ejusdem* ep. 75., ubi inter alia haec monentur: *Non mehercules jejuna esse et arida volo, quae de rebus tam magnis dicentur; neque enim*

§. 65.

De genere historico *).

Cicero (Pluribus locis).

Huic generi (scil. *Sophistarum* florentiori philosophiae generi) *historia* finitima est, in qua et narratur ornate, et regio saepe aut pugna describitur; interponuntur etiam conciones et hortationes: sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio. (Orat. c. 20.) ——— Videtisne quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis et varietate maximum: neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis; sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid vere non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo: et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam qui fama, ac nomine excellant, de cujus-

---

philosophia ingenio renuntiat: multum tamen operae impendi verbis non oportet.

*) Cf. Aesthet. liter. *vern.* Tom. II. §. 342 seqq.

que vita atque natura. Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum levitate quadam aequabili profluens, sine hac judiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. (De orat. l. II. c. 15.) — *Narratio* est rerum gestarum, aut ut gestarum, expositio. — *Historia* est gesta res ab aetatis nostrae memoria remota. — *Narrationem*, oportet tres habere res: ut *brevis*, ut *aperta*, ut *probabilis* sit. Brevis erit, si unde necesse est, inde initium sumetur, et non ab ultimo repetetur, et, si cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicentur. Nam saepe satis est, quid factum sit, dicere; non ut enarres, quemadmodum sit factum: et si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur et si ad nullam rem aliam transibitur; et si ita dicetur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum est, id, quod dictum non sit, intelligatur; et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest, nec adjuvat, praeteribitur: et si semel unumquidque dicetur, et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, quum se breves putent esse, longissimi sint: quum dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant, et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque breviter dicere videtur, qui ita dicit: *Accessi ad aedes; puerum evocavi; respondit; quaesivi dominum; domi negavit esse.* Hic tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia satis fuit, dixisse domi negavit esse, fit rerum multitudine longus. Quare hoc etiam in genere vitanda est brevitatis imitatio, et non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine supersedendum

est *). Aperta narratio poterit esse, si ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic considerandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur, et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res est parum intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est: quo de genere dictum est in praeceptis eloquutionis. Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur; si causae factorum exstabunt; si fuisse facultates faciundi videbuntur; si tempus idoneum, si spatii satis, si locus opportunus ad eamdem rem, qua de re narrabitur, fuisse ostendetur; si res et ad eorum, qui agent, naturam et ad vulgi morem, et ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodabitur. (De Inv. l. I. c. 19—22.) **)

---

*) *Nihil est in historia pura et illustri brevitate dulcius.* Cicero, *Brut.* c. 76. §. 262.

**) Cf. *Cicer.* Part. orat. c. 9. ubi haec praecipiuntur: « C. F. Quid? in *narratione*, quae tandem conservanda sunt? C. P. Quoniam narratio est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei, ea sunt in ea servanda maxime, quae etiam in reliquis fere dicendi partibus: quae partim sunt necessaria, partim assumta ad ornandum. Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est: sed assumimus etiam suavitatem. Ergo ad *dilucide* narrandum eadem illa superiora expli-

§. 66.

De forma dialogica et inprimis epistolica *).

Demetrius (De elocut. Sectt. CCXXXI seqq.)

Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ἐπιστολικὸς χαρακτὴρ δεῖται ἰσχνότητος, καὶ περὶ αὐτοῦ λέξομεν. Ἀρτέμων μὲν

---

candi et illustrandi praecepta repetemus, in quibus est brevitas: eaque saepissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est. *Probabilis* autem erit: si personis, si temporibus, si locis ea, quae narrabuntur, consentient: si cujusque facti, et eventi causa ponetur: si testata dici videbuntur: si cum hominum opinione, auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione conjuncta: si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si orationis veritas et vitae fides. *Suavis* autem narratio est, quae habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates.» — — *Quintil.* «Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis, et velut laxioribus nodis resolvemus; exceptis, quae non docendi gratia, sed ornandi narrantur: ut in Verrem *Proserpinae raptus*. Haec enim lenis et fluens contextus decet.» (Inst. or. l. IX. c. 4. §. 127) — — «Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat. Namque omnes ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firmant, continent et continentur.» (*Id.* ibid. §. 129.) — — Ulteriora *Fabii* de narratione placita *vid.* l. IV. c. 2.

*) Cf. Aesthet. lit. *vern.* Tom. II. §. 285 seqq et §. 289 seqq. — De forma epistol. *vide* librum, qui inscribitur: *De studio, stylo et artificio epistolico Fabii Quintil. Erasmi Rotterd. An Senecae, Plinii, Demetr. Phaler. Gregorii Nazianz. et Libanii, sapientissimorum virorum placita.* Hamb. 1614. 8. Ibi fere omnia, quae de hoc genere apud

οὖν *), ὁ τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολὰς **), φησὶν, ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς· εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου. Καὶ λέγει μέν τι ἴσως, οὐ μὴν ἅπαν· δεῖ γὰρ ὑποκατεσκευάσθαί πως μᾶλλον τοῦ διαλόγου τὴν ἐπιστολήν· ὁ μὲν γὰρ μιμεῖται αὐτοσχεδιάζοντα, ἡ δὲ γράφεται καὶ δῶρον πέμπεται τρόπον τινά. Τίς γοῦν οὕτως ἂν διαλεχθῇ ***) πρὸς φίλον, ὥςπερ ὁ Ἀριστοτέλης πρὸς Ἀντίπατρον ὑπὲρ τοῦ φυγάδος γράφων τοῦ γέροντός, φησιν· « εἰ δὲ πρὸς ἁπάσας, οἴχεται τὰς ****) φυγὰς οὗτος, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖσγε εἰς ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις οὐδεὶς φθόνος· » ὁ γὰρ οὕτω διαλεγόμενος ἐπιδεικνυμένῳ ἔοικε μᾶλλον, οὐ λαλοῦντι. Καὶ λύσεις συχναὶ (ὁποῖαι †) οὐ πρέπουσιν ἐπιστολαῖς· ἀσαφὲς γὰρ ἐν γραφῇ ἡ λύσις· καὶ τὸ μιμητικὸν οὐ γραφῆς οὕτως οἰκεῖον, ὡς ἀγῶνος· οἷον ὡς ἐν τῷ Εὐθυδήμῳ· ††) « τίς ἦν ὦ Σώκρατες ᾧ χθὲς ἐν

Antiquos reperiuntur, praecepta collecta sunt. *Dionys. Halicarn.* et *Ciceronis* interim placita desiderantur.

*) *Artemonem* hunc, hominem alias ignotum, post Syllana demum tempora vixisse, multa declarare videntur. Cf. *Valesius* in not. ad Nicom. Damas. et *Schneid.* a. h. l. Quod si verum est, adparet, Demetrium, libelli hujus auctorem, non esse illum Phalereum.

**) Huc faciunt, quae scribit *Simplicius* ad Categorias, p. 2.

***) Cl. Schneider. ob rationem grammaticam legi vult διαλεχθείη.

****) Cl. Valkenair. ad Herodotum p. 368. hunc locum ita emendat, ut pro τὰς legendum sit γᾶς.

†) Codex Morellii cum Aldina ἰσχυαὶ habet. — Nisi reconditior vox latet, prorsus delendum ὁποιαὶ puto. *Schn.*

††) *Plat.* Euthyd. Vol. III. p. 4. edit. Bipont.

Λυκείῳ διελέγου· ἦ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιειστήκει;» καὶ μικρὸν προσελθὼν ἐπιφέρει· «ἀλλά μοι ξένος τις φαίνεται εἶναι, ᾧ διελέγου· τίς ἦν;» *) ἡ γὰρ τοιαύτη πᾶσα ἑρμηνεία, καὶ μίμησις ὑποκριτῇ πρέπει μᾶλλον, οὐ γραφομέναις ἐπιστολαῖς. Πλεῖστον δὲ ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολὴ, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος, σχεδὸν, γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν· καὶ ἐστὶ μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος, ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως, ὡς ἐπιστολῆς. Τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς, ὥσπερ καὶ ἡ λέξις· αἱ δὲ ἄγαν μακραὶ, καὶ προσέτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι, οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γένοιντο ἂν, ἀλλὰ συγγράμματα, τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον· καθάπερ τὰ Πλάτωνος πολλὰ, καὶ ἡ Θουκυδίδου. Καὶ τῇ συντάξει μέν τοι λελύσθω μᾶλλον· γελοῖον γὰρ περιοδεύειν, ὥσπερ οὐκ ἐπιστολὴν, ἀλλὰ δίκην γράφοντα· καὶ οὐδὲ γέλοῖον μόνον, ἀλλ' οὐδὲ φιλικὸν· τὸ γὰρ δὴ κατὰ τὴν παροιμίαν τὰ σῦκα σῦκα λεγόμενον, ἐπιστολαῖς ταῦτα ἐπιτηδεύειν. Εἰδέναι δὲ χρὴ, ὅτι οὐχ ἑρμηνεία μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματά τινα ἐπιστολικά ἐστιν. Ἀριστοτέλης γοῦν ὡς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ τύπου ἐπιστολικοῦ. τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι, φησίν· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν. Εἰ γάρ τις ἐν ἐπιστολῇ σοφίσματα γράφει καὶ φυσιολογίας, γράφει μὲν, οὐ μὴν ἐπιστολὴν γράφει· φιλοφρόνησις γάρ τις βούλεται εἶναι ἡ ἐπιστολὴ, σύντομος, καὶ περὶ ἁπλοῦ πράγματος ἔκθεσις, καὶ ἐν ὀνόμασιν ἁπλοῖς. Κάλλος μέν τοι αὐτῆς αἵ τε φιλικαὶ φιλοφρονήσεις, καὶ πυκναὶ παροιμίαι ἐνοῦσαι· καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἐνέστω

---

*) Apud *Platonem* ipsum ita legitur: Καί μοι ἔδοξεν εἶναι ξένος τις, ᾧ διελέγου τίς ἦν.

αὐτῇ σοφὸν, διότι δημοτικόν τί ἐστιν ἡ παροιμία καὶ κοινόν· ὁ δὲ γνωμολογῶν καὶ προτρεπόμενος οὐ δι' ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦντι ἔοικεν ἀλλὰ μηχανῆς *). Ἀριστοτέλης μέν τοι καὶ ἀποδείξεσί που χρῆται ἐπιστολικαῖς **), οἷον διδάξαι βουλόμενος, ὅτι ὁμοίως χρὴ εὐεργετεῖν τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικράς, φησίν, «οἱ γὰρ θεοὶ ἐν ***) ἀμφοτέραις ἴσοι· ὥστ' ἐπεὶ αἱ χάριτες θεαί, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις·» καὶ γὰρ τὸ ἀποδεικνύμενον αὐτὸ ἐπιστολικόν, καὶ ἡ ἀπόδειξις αὐτή. Ἐπεὶ δὲ καὶ πόλεσί ποτε καὶ βασιλεῦσι γράφομεν, ἔστωσαν τοιαῦται ****) αἱ ἐπιστολαὶ μικρὸν ἐξηρμέναι πως· στοχαστέον γὰρ καὶ τοῦ προσώπου, ᾧ γράφεται· ἐξηρμένη μέν τοι, καὶ οὐχ ὥστε σύγγραμμα εἶναι ἀντ' ἐπιστολῆς, ὥσπερ αἱ Ἀριστοτέλους πρὸς Ἀλέξανδρον, καὶ πρὸς τοὺς Δίωνος οἰκείους ἡ Πλάτωνος. Καθόλου δὲ μεμίχθω ἡ ἐπιστολὴ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἐκ δυοῖν χαρακτήροιν τούτοιν, τοῦ τε χαρίεντος καὶ τοῦ ἰσχνοῦ· καὶ περὶ ἐπιστολῆς μὲν τοσαῦτα †).

---

*) Id est more Deorum, qui in Tragoediis ex marchinis loqui solebant.

**) Mor. cum Aldina ἐπιστολικῶς.

***) Particula ἐν a plerisque omittitur.

****) Alii: τοι αὗται.

†) «Qualis sermo meus esset, si una sederemus, illaboratus et facilis, tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant accersitum nec fictum.» *Senec.* ep. 75. — — «Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos seire, aut nostra aut ipsorum interesset. — Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant; unum familiare et jocosum, alterum severum et grave.» *Cicero*, epp. ad Divers. l. II. ep. 4.

ADPENDIX I.

DE MEMORIA ET PRONUNCIATIONE *).

CAPUT I.

De memoria.

§. 67.

Quintilianus. (Inst. or. l. XI. c. 2.)

Memoriam quidam naturae modo esse munus existimaverunt **), estque in ea non dubie plurimum, sed ipsa colendo, sicut alia omnia, augetur: et totus, de quo diximus adhuc, inanis est labor, nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si, quicquid audimus, praeterfluat: ***) et exemplorum,

---

*) Memoriam et pronunciationem ab antiquis, qui de his rebus scripserunt, auctoribus ad solam fere artem *oratoriam* referri, constat. Quum autem utraque ad omnia artis literariae genera tam poetica quam prosaica pertinere possit, separanda de iis doctrina seorsumque proponenda videtur. Cf. supra p. 291.

**) Ita v. c. *Philostratus* (Vit. Sophist. I. 22, 2.): Ἔστι γὰρ (Scilic. μνήμη) πλεονέκτημα φύσεως, ἢ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς μοῖρα.

***) *Tantum scimus, quantum memoria tenemus.* Cicero.

legum, responsorum, dictorum denique factorumque velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis repraesentat. Neque immerito *thesaurus* hic *eloquentiae* dicitur *). Sed non firme tantum continere, verum etiam cito percipere multa acturos oportet, nec quae scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi: et, quae sint ab adversa parte dicta, meminisse: nec utique ea, quo dicta sunt ordine, refutare, sed opportunis locis ponere. Quid? extemporalis oratio nec alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quae dicturi sumus, intuenda sunt. Ita quum semper cogitatio ultra id, quod est, longius quaerit, quicquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit: quod illa, quasi media quaedam manus, acceptum ab inventione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid sit, quod memoriam faciat: quanquam plerique imprimi quaedam vestigia animo, velut in ceris annulorum signa serventur, existimant **). Neque ero tam credulus, ut quasi habitu tardiorem firmioremque memoriam fieri putem. Ejus autem, quod ad animum pertinet, magis admirer naturam, subito res vetustas, tanto ex intervallo repetitas, reddere se et offerre:

---

*) *Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria? Quae nisi custos inventis* [*cogitatisque*] *rebus et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiamsi praeclarissima fuerint, in oratione peritura.* Cicero. (De orat. I. 5. §. 18.)

**) V. g. *Plato*, Theaet. p. 154 et 156. Ed. B. In Philebo Plato memoriam Σωτηρίαν αἰσθήσεως vocat, eamque a reminiscentia (ἀναμνήσει) distinguit. Phil. p. 255.

nec tantum requirentibus, sed etiam sponte interim: nec vigilantibus, sed etiam quiete compositis. Eo magis, quod illa quoque animalia, quae carere intellectu videntur, meminerunt et agnoscunt, et quamlibet longo itinere deducta ad assuetas sibi sedes revertuntur. Quid? non haec varietas mira est, excidere proxima, vetera inhaerere? hesternorum immemores, acta pueritiae recordari? Quid? quod quaedam requisita se occultant, et eadem forte succurrunt? nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen, quanta vis esset ejus, quanta divinitas illa, nisi hoc lumen orandi extulisset. Non enim rerum modo, sed etiam verborum ordinem praestat: nec ea pauca contexit, sed durat prope in infinitum, et in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memoriae fides deficit. Quod et ipsum argumentum est, subesse artem aliquam, juvarique ratione naturam: quum iidem docti facere illud, indocti et inexercitati non possimus: quanquam invenio apud Platonem *), obstare memoriae usum literarum: videlicet quod illa, quae scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, et ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a prospectu rerum, quas intuetur, non aversa. Unde accidit, ut quae per plures dies scribimus ediscendi causa, cogitatione ipsa contineat. — — —

Nata est, ut in plerisque, ars ab experimento. Loca discunt quam maxime spatiosa, multa varietate signata, domum forte magnam, et in multos diductam

*) *Plat.* in Phaedr.

recessus. In ea quicquid notabile est, animo diligenter affigitur, ut sine cunctatione ac mora partes ejus omnes cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non haerere in occursu. Plus enim quam firma debet esse memoria, quae aliam memoriam adjuvet. Tum quae scripserunt vel cogitatione complectuntur, et aliquo signo, quo moneantur, notant: quod esse vel ex re tota potest, ut de navigatione, militia; vel ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. Sit autem signum navigationis, ut ancora; militiae, ut aliquid ex armis. Haec ita digerunt. Primum sensum vestibulo quasi assignant, secundum atrio, tum impluvia circumeunt, nec cubiculis modo aut exedris, séd statuis etiam similibusque per ordinem committunt. Hoc facto, quum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca haec recensere, et, quod cuique crediderunt, reposcunt, ut eorum imagine admonentur: ita quamlibet multa sint, quorum meminisse oporteat, fiunt singula connexa quodam choro, ne errent conjungentes prioribus sequentia solo ediscendi labore. Quod de domo dixi, et in operibus publicis, et in itinere longo, ut urbium ambitu, et picturis, fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. Opus est ergo locis, quae vel finguntur, vel sumuntur: imaginibus, vel simulacris, quae utique fingenda sunt. Imagines notae sunt, quibus ea, quae ediscenda sunt, notamus: ut, quomodo Cicero dicit, *locis pro cera, simulacris pro literis utamur* *). Illud quoque ad verbum ponere, optimum fuerit: *Locis est utendum multis, illustribus,*

---

*) *Cicero*, De or. II. 86. §. 354.

explicatis, modicis intervallis: imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quo magis miror, quomodo Metrodorus in XII. signis, per quae Sol meat, trecenos et sexagenos invenerit locos. Vanitas nimirum fuit atque jactatio circa memoriam suam potius arte, quam natura gloriantis. Equidem haec ad quaedam prodesse non negaverim, ut si rerum nomina multa, per ordinem audita, reddenda sint. Namque in iis, quae didicerunt, locis ponunt res illas, *mensam*, ut hoc utar, *in vestibulo*, et *pulvinum in atrio*, et sic cetera: deinde relegentes inveniunt, ubi posuerint. Et forsitan hoc sunt adjuti, qui, auctione dimissa, quid cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddiderunt. Quod praestitisse Hortensium*) dicunt. Minus idem proderit in ediscendis, quae orationis perpetuae erunt. Nam et sensus non eandem imaginem quam res habent, quum alterum fingendum sit: et horum tamen utcunque commonet locus: sed sermonis alicujus habiti verborum contextus eadem arte quomodo comprehendetur? Mitto, quod quaedam nullis simulacris significari possunt, ut certe conjunctiones. Habeamus enim sane, ut qui notis scribunt, certas imagines omnium, et loca scilicet infinita, per quae verba, quot sunt in quinque contra Verrem secundae actionis libris, explicentur, ut meminerimus etiam omnium quasi depositorum: nonne impediri quidem eorum, quae dicit, decursum necesse est duplici memoriae cura? Nam

---

*) Hanc de Hortensio narrationem legas ap. *Senecam* (Patrem) in Praefat. *Controvers.* ubi *Latronis* quoque memoriae felicitas multis laudatur.

quomodo poterunt copulata fluere, si propter singula verba ad singulas formas respiciendum erit? Quare et Charmadas et Scepsius, de quo modo dixi, Metrodorus, quos Cicero dicit usos hac exercitatione *), sibi habeant sua: nos simpliciora tradamus.

Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere: laborat enim maxime onere: et hae partes non sint perexiguae; alioqui rursus multae erunt, et eam distinguent atque concident. Nec utique certum imperaverim modum, sed maxime ut quisque finietur locus: ni forte tam numerosus, ut ipse quoque dividi debeat. Dandi sunt certi quidam termini, ut contextum verborum, qui est difficillimus, continuet crebra meditatio; partes deinceps ipsas repetitus ordo conjungat. Non est inutile, iis, quae difficilius haereant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat et quasi excitet memoriam. Nemo etiam fere tam infelix, ut, quod cuique loco signum destinaverit, nesciat: ut, si erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipsae excitent notae. Hoc enim est ex illa arte non inutile, attendere signa ad eos, qui excidunt, sensus: *ancoram*, ut supra posui, si de nave dicendum esset: *spiculum*, si de proelio. Multum enim signa faciunt, et ex alia memoria venit alia: ut quum translatus annulus vel alligatus commoneat nos, cur id fecerimus. Haec magis adhuc adstringunt, qui memoriam ab aliquo simili transferunt ad id, quod continendum est: ut in nominibus, si *Fabius* forte sit tenendus, referamus ad illum *Cunctatorem*, qui excidere non potest: aut ad aliquem amicum, qui idem vocetur.

---

*) *Cicero*, De Or. II. c. 88. §. 360.

Quod est facilius in *Apris*, et in *Ursis*, et *Nasone*, aut *Crispo*, ut id memoriae affigatur, unde sunt nomina. Origo quoque aliquando declinatorum tenendi magis causa est, ut in *Cicerone*, *Verrio*, *Aurelio*, si debent inseri. Illud neminem non juvabit, iisdem, quibus scripserit, ceris ediscere. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, et velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus prope ipsos, qui tum dicit, similis legenti. Jam vero si litura aut adjectio aliqua atque mutatio interveniat, signa sunt quaedam, quae intuentes deerrare non possumus. Haec ratio, ut est illi, de qua primum locutus sum, arti non dissimilis, ita, si quid me experimenta docuerunt, et expeditior et potentior. Ediscere tacite (nam id quoque est quaesitum) erat optimum, si non subirent velut otiosum animum plerumque aliae cogitationes, propter quas excitandus est voce, ut duplici motu juvetur memoria, dicendi et audiendi. Sed haec vox sit modica, et magis murmur. Qui autem legente alio ediscit, in parte tardatur, quod acrior est oculorum, quam aurium sensus: in parte juvari potest, quod, quum semel aut bis audierit, continuo illi memoriam suam experiri licet, et cum legente contendere. Nam et alioqui id maxime faciendum est, ut nos subinde tentemus: quia continua lectio, et quae magis, ei quae minus haerent, aequaliter transit. In experiendo, teneasne, et major intentio est, et nihil supervacui temporis perit, quo etiam, quae tenemus, repeti solent: ita sola, quae exciderunt, retractantur, ut crebra iteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maxime haerere, quod exciderunt. Illud ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem,

digestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum. Verum et in iis, quae scripsimus, complectendis multum valent, et in iis, quae cogitamus, continendis prope solae (excepta, quae potentissima est, exercitatione) *divisio* et *compositio*. Nam qui recte diviserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt enim non solum in digerendis quaestionibus, sed etiam in exsequendis, si modo recte dicimus, prima ac secunda, et deinceps: cohaeretque omnis rerum copulatio, ut ei nihil neque subtrahi sine manifesto intellectu, neque inseri possit. An vero Scaevola in lusu duodecim scriptorum *), quum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset recordatus, rediit ad eum, quicum luserat, isque ita factum esse confessus est: minus idem ordo valebit in oratione, praesertim totus nostro arbitrio constitutus, quum tantum ille valeat alternus? Etiam quae bene composita erunt, memoriam serie sua ducent. Nam sicut facilius versus ediscimus, quam prosam orationem: ita prosae vincta, quam dissoluta. Sic contingit, ut etiam quae ex tempore videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod meae quoque memoriae mediocritatem sequebatur, si quando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coëgisset: nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt.

*) De lusu duodecim scriptorum consulatur *Ernesti*, Clavis Ciceron. De M. Scaevola autem, hujus lusus peritissimo jurisconsulto vid. *Cicero*, De Or. I. c. 49. et c. 50.

Si quis tamen unam maximamque a me artem memoriae quaerat, *exercitatio* est et *labor:* multa ediscere, multa cogitare, et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est. Nihil aeque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare et pueri statim, ut praecepi, quam plurima ediscant, et, quaecunque aetas operam juvandae studio memoriae dabit; devoret initio taedium illud et scripta et lecta saepius revolvendi, et quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quae odium non afferant, coeperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat, in summam ad infinitum usque perveniat: et poëtica prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris, et magis ab usu dicendi remota, qualia sunt jurisconsultorum. Difficiliora enim debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent: ut athletae ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis et nudis in certamine utendum est. Non omittam etiam, quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem esse paullo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis; sive requiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstabat; sive concoquitur seu maturatur, quae firmissima ejus pars est, recordatio: quae statim referri non poterant, contexuntur postera die, confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis. Etiam illa praevelox fere cito effluit, et, velut praesenti officio functa nihil in posterum debeat, tanquam dimissa discedit. Nec est mirum, magis haerere animo, quae diutius affixa sint.

Ex hac ingeniorum diversitate nata dubitatio est, *ad verbum sit ediscendum dicturis, an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit:* de quo sine dubio non potest in universum pronunciari. Nam si memoria suffragatur, tempus non defuit, nulla me velim syllaba effugiat: alioqui etiam scribere sit supervacuum. Idque praecipue a pueris obtinendum, atque in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideoque et admoneri, et ad libellum respicere vitiosum, quod libertatem negligentiae facit, nec quisquam se parum tenere judicat, quod, ne sibi excidat, non timet. Inde interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio, et qui dicit ediscenti similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit vel hoc ipso, quod scripsisse se confitetur. Memoria autem facit etiam prompti ingenii famam, ut illa, quae dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur: quod et oratori et ipsi causae plurimum confert. Nam et magis miratur, et minus timet judex, quae non putat adversus se praeparata. Itaque in actionibus inter praecipua servandum est, ut quaedam etiam, quae optime vinximus, velut soluta enunciemus, et cogitantibus nonnunquam et dubitantibus similes quaerere videamur, quae attulimus. Ergo quid sit optimum, neminem fugit. Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se verba alligare, quum oblivio unius eorum cujuslibet, aut deformem haesitationem, aut etiam silentium inducat; tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere. Nam et invitus perdit quisque id, quod elegerat, verbum: nec facile reponit

aliud, dum id, quod scripserat, quaerit. Sed ne hoc quidem infirmae memoriae remedium est, nisi in iis, qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt. Quodsi cui utrumque defuerit, huic omittere omnino totum actionum laborem, ac, si quid in literis valet, ad scribendum potius suadebo convertere. Sed haec rara infelicitas erit.

Ceterum quantum natura studioque valeat memoria, vel Themistocles testis, quem unum intra annum optime locutum esse Persice constat: vel Mithridates, cui duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse: vel Crassus ille dives, qui, quum Asiae praeesset, quinque Graeci sermonis differentias sic tenuit, ut, qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem jus sibi redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quamlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes *). Dicebantur etiam nunc esse, qui facerent; sed mihi nunquam, ut ipse interessem, contigit: habenda tamen fides est vel in hoc, ut, qui crediderit, et speret **).

---

*) De hoc Themistoclis circa memoriam studio legas ap. *Thucyd.* I. 137. Item *Plutarch.* et *Cornel. Nep.* in Themist. Interim *Cicero* (De Or. II. c. 86. 351.) de Themistocle tradit, eum tanto fuisse ingenio, ut oblivionis, quam memoriae artem maluerit. — De Mithridatis, nec non Cyri aliorumque memoria cf. *Plin.* H. N. l. VII. c. 24 *Aul. Gellius*, XVII. 17. De Crasso *Val. Max.* VIII. 7, 6.

**) Circa memoriam ejusque utilitatem atque exercitationem legi merentur, quae exstant apud *Auctor. ad Herennium.* (L. III. c. 16 seqq.) « Nunc ad thesaurum inventorum atque omnium partium rhetoricae custodem, *memoriam* trans-

eamus. Memoria utrum habeat quidquam artificiosi, an omnis a natura proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc perinde atque constet, in hac re multum valere artem et praeceptionem, ita ea de re loquemur. Placet enim nobis esse artificium memoriae: quare placet, alias ostendemus: in praesentia cujusmodi ea sit, aperiemus. Sunt igitur duae memoriae: una *naturalis*, altera *artificiosa*. Naturalis est ea, quae nostris animis insita est, et simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea, quam confirmat inductio quaedam et ratio praeceptionis. Sed quia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro, naturae commoda confirmat et auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit huic artificiosae. Porro haec artificiosa naturae commoda retinet et amplificat ratione doctrinae. Quapropter et naturalis memoria praeceptione confirmanda est, ut sit egregia: et haec, quae doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut *ingenio doctrina*; praeceptione natura nitescat. Quare et illis, qui natura memores sunt, utilis haec erit institutio: quod tute paullo post poteris intelligere. Quod si illi freti ingenio nostra praeceptione non indigerent, tamen justa causa daretur, quare iis, qui minus ingenii habent, adjumento velimus esse. Nunc de *artificiosa memoria* loquemur. Constat igitur artificiosa memoria ex locis et imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfecte, insignite, aut natura, aut manu sunt absoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere et amplecti queamus, ut aedes, intercolumnium, angulum, fornicem, et alia, quae his similia sunt. Imagines sunt formae quaedam, et notae, et simulacra ejus rei, quam meminisse volumus: quod genus, equi, leones, aquilae, quorum memoriam si volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. Nunc, cujusmodi locos invenire, et quo pacto reperire, et in locis imagines constituere oporteat, ostendemus. Quemadmodum igitur qui

literas sciunt, possunt id, quod dictatum est, scribere et recitare, quod scripserunt: ita qui μνημονικὰ didicerunt, possunt, quae audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronunciare. Loci enim cerae aut chartae simillimi sunt: imagines, literis: dispositio et collocatio imaginum, scripturae: pronunciatio, lectioni. Oportet igitur, si volumus multa meminisse, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare possimus. Item putamus, oportere, et ex ordine hos locos habere, nequando perturbatione ordinis impediamus, quo secius quoto quoque loco libebit, vel a superiore, vel ab inferiore, vel a media parte imagines sequi, ut ea quae mandata locis erunt, edere et proferre possimus. Nam ut, si in ordine stantes notos complures viderimus nihil nostra intersit, utrum a summo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus: item in locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem quoto quoque loco libebit, imaginibus commoti dicere possimus id, quod locis mandaverimus. Quare placet et ex ordine locos comparare; et locos, quos assumserimus, egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis haerere possint; nam imagines, sicut *literae*, delentur, ubi nihil illis utimur: loci tanquam *cera*, remanere debent. Et, ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque locum placet notari: quod genus, si in quinto loco manum auream collocemus, et si in decimo aliquem notum, cui praenomen sit *Decimo*; deinde facile erit similes notas quinto quoque loco collocare. Item commodius est, in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quod frequentia et obambulatio hominum conturbat et infirmat imaginum notas: solitudo conservat integras simulacrorum figuras. Praeterea dissimiles forma atque natura loci comparandi sunt, ut distincte interlucere possint; nam siquis multa intercolumina sumserit, *conturbabitur* similitudine locorum, ut ignoret, quid quoque in loco collocarit. Jam et magnitudine medica et mediocres locos habere oportet; nam et praeter modum ampli vagas

imagines reddunt, et nimis angusti saepe non videntur posse capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne obcaecentur tenebris imagines, aut splendore praefulgeant. Intervalla locorum mediocria esse placet, fere paullo plus, aut minus pedum tricenûm. Nam ut *aspectus*, ita cogitatio minus valet, sive nimis procul removeris, sive vehementer prope admoveris id, quod oportet videri. Sed quanquam facile est ei, qui paullo plura exploraverit, quamvis multos et idoneos locos comparare: tamen si quis ad ista satis idoneos invenire se non putabit, ipse sibi constituat quam volet multos licebit. Cogitatio enim quamvis regionem potest amplecti, et in ea situm loci cujusdam ad suum arbitrium fabricari et architectari. Quare licebit, si hac promta copia contenti non erimus, nosmetipsos nobis cogitatione nostra regionem constituere, et idoneorum locorum commodissimam distinctionem comparare. De locis satis dictum est: nunc ad *imaginum* rationem transeamus. Quoniam ergo rerum similes imagines esse oportet, et ex omnibus verbis notas nobis similitudines eligere debemus, duplices similitudines esse debent: unae *rerum*, alterae *verborum*. Rerum similitudines exprimuntur, cum summatim ipsorum negotiorum imagines comparamus. Verborum similitudines constituuntur, cum unius cujusque nominis et vocabuli memoria imagine notatur. — — — Nunc, quoniam solet accidere, ut imagines partim firmae, et ad monendum idoneae sint, partim imbecilles et infirmae, quae vix memoriam possint excitare: qua de causa utrumque fiat, considerandum est, ut, cognita causa, quas vitemus et quas sequamur imagines, scire possimus. Docet igitur nos ipsa natura, quid oporteat fieri; nam si quas res in vita videmus parvas, usitatas, quotidianas, eas meminisse non solemus: propterea quod nulla nisi nova, aut admirabili re commovetur animus; at si quid videmus, aut audiemus egregie turpe, aut honestum, inusitatum, magnum, incredibile, ridiculum, id diu meminisse consuevimus Itemque quas res ante ora videmus

aut audimus, obliviscimur plerumque: quae acciderunt in *pueritia*, meminimus optime saepe: nec hoc alia de causa potest accidere, nisi quod usitatae res facile e memoria elabuntur, insignes, novae manent diutius. Solis exortus, cursus, occasus, nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipses solis mirantur, quia raro accidunt: et solis eclipses magis mirantur, quam lunae, quoniam hae crebriores sunt. Docet ergo se natura, vulgari, et usitata re non exsuscitari: novitate vero et insigni quodam negotio commoveri. Imitetur igitur ars naturam, et quod ea desiderat, inveniat: quod ostendit, sequatur. Nihil est enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, et exitus disciplina comparantur. Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest; id accidet, si quam maxime notas similitudines constituemus: si non mutas, nec vagas, sed aliquid notum agentes imagines ponemus: si egregiam pulchritudinem aut unicam turpitudinem eis attribuemus: si aliqua re exornabimus, ut si coronis aut veste purpurea, quo nobis notatior sit similitudo: aut si qua re deformabimus, ut si cruentam, aut coeno oblitam, aut rubrica delibutam inducemus, quo magis insignita sit forma: aut si ridiculas res aliquas imaginibus attribuemus; nam ea res quoque faciet, ut facilius meminisse possimus. Nam, quas res veras facile meminimus, easdem fictas et diligenter notatas meminisse non est difficile. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quosque locos imaginum renovandarum causa celeriter animo percurramus. »

Non minus comparanda sunt, quae habet *Cicer.* (De orat. l. II. c. 86 seqq.)

« Invenisse fertur [Simonides], ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notaret,

atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur. Qui sit autem oratori *memoriae fructus*, quanta utilitas quanta vis, quid me attinet dicere? Tenere, quae didiceris in accipienda causa? quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatum? ita audire vel eum, unde dicas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint, quid responderint, quid supersit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem, hujus boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium: sed haec ars tota dicendi, sive *artis imago* quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta jam in nobis, et procreata, educet atque confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur: neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis effingi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum *videndi:* quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas et ab adspectus judicio remotas, conformatio quaedam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti non possemus, intuendo quasi teneremus. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quae sub adspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est. Etenim *corpus* intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, expli-

CAPUT II.

De pronunciatione s. actione *).

§. 68.

Quintilianus (Inst. or. l. XI. c. 3.)

Pronunciatio a plerisque *actio* dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias **) quasi sermonem, alias ***)

catis, modicis intervallis; imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, et similium verborum conversa et immutata casibus aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine totius sententiae informatio, pictoris cujusdam summi ratione et modo formarum varietate locos distinguentis. Sed *verborum* memoria, quae minus est nobis necessaria, majore imaginum varietate distinguitur; multa enim sunt verba, quae, quasi articuli, connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt; eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris; eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, *opprimi* memoriam imaginum pondere et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines et divina prope memoria, Athenis Charmadam, in Asia, quem vivere hodie ajunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque tamquam literis in cera, sic se ajebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si latet, evocanda est.»

*) Cf. Aesthet. lit. *vernac.* Tom. II. p. 550 seqq.

**) De Orat. III. c. 59. *Ciceronis* de hac re praecepta jamjam habebis.

***) Orat. c. 17.

eloquentiam quamdam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quae sunt eaedem pronunciationis, *vocem* atque *motum*. Quapropter utraque adpellatione indifferenter ut licet. Habet autem res ipsa miram quamdam in orationibus vim ac potestatem *). Neque enim tam refert, qualia sint, quae intra nosmet ipsos composuimus, quam quo modo efferantur; nam ita quisque, ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, quae modo venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur adseveratione dicentis. Adfectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Nam quum haec omnia fecerimus, felices, si tamen nostrum illum ignem judex conceperit **), nedum eum supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui et optimis poetarum tantum adjiciunt gratiae, ut nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta delectent, et vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut, quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris.

*) Huc faciunt, quae paucissima quidem circa hanc rem tradit *Aristoteles* (Rhet. l. III. c. 1. §. 4 seqq.) Tribus quippe artem oratoriam perfici, docet, probationibus scilicet (quae inventione continentur), elocutione et *actione*. Jam de postrema haec monet: Τρίτον δὲ τούτων, ὁ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην, οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὸ περὶ τὴν ὑπόκρισιν. — — Ἔστι δὲ αὕτη ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος· οἷον, πότε μεγάλῃ, καὶ πότε μικρᾷ, καὶ πότε μέσῃ· καὶ πῶς τοῖς τόνοις· οἷον ὀξείᾳ, καὶ βαρείᾳ, καὶ μέσῃ· καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστα.

**) Cf. *Cicer.* De Or. II. 47.

Quodsi in rebus quas fictas esse scimus et inanes tantum pronunciatio potest, ut iram, lacrimas, sollicitudinem adferat, quanto plus valeat necesse est, ubi et credimus? Equidem vel mediocrem orationem, commendatam viribus actionis, adfirmaverim, plus habituram esse momenti, quam optimam, eadem illa destitutam *). — — — Sunt tamen, qui rudem illam et qualem impetus cujusque animi tulit, actionem judicent fortiorem et solam viris dignam; sed non alii fere, quam qui etiam in dicendo curam et artem et nitorem et quidquid studio paratur, ut adfectata et parum naturalia solent improbare, vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut, L. Cottam, dicit Cicero **), fecisse, imitationem antiquitatis adfectant. Verum illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint oratores, satis putant, nasci; nostro labori dent veniam, qui nihil credimus esse perfectum, nisi ubi natura cura juvetur. In hoc igitur non contumaciter consentio; primas partes esse naturae. Nam certe bene pronunciare non poterit, cui aut in scriptis memoria aut in iis, quae subito dicenda erunt, facilitas promta defuerit; nec si inemendabilia oris incommoda obstabunt. Corporis etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem, nisi liberalis, actionem habere optimam potest. Bona enim firmaque, ut volumus, uti licet; mala vel imbecilla et inhibet multa, ut «insurgere exclamare;» et aliqua cogit, ut «submittere, deflectere» et rasas ***) fauces ac latus

*) Cf. *Cic.* de Orat. III, 56.

**) De Orat. III. c. 11. §. 42. c. 12. §. 46. *Brutus* c. 74. §. 259.

***) *Raucas.* Gesn.

fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non frustra praecipitur. Quum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa partes, *vocem gestumque*; quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat adfectus, prius est, de *voce* dicere, cui etiam *gestus* accommodatur. In ea prima observatio est, qualem habeas; secunda, quomodo utaris. Natura vocis spectatur *quantitate* et *qualitate*. *Quantitas* simplicior est. In summa enim grandis, aut exigua est; sed inter has extremitates mediae sunt species, et ab ima ad summam, ac retro, multi sunt gradus. *Qualitas* magis varia est. Nam et est candida,*) et fusca, et plena et exilis, et levis,**) et aspera, et contracta et fusa, et dura et flexibilis, et clara et obtusa. Spiritus etiam longior breviorque. — Dulcis debet esse, non exprobrans sonus. — — *Utendi* voce multiplex ratio. Nam praeter illam differentiam, quae est tripartita, acutae, gravis, flexae; tum intentis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis est opus, spatiis quoque lentioribus, aut citatioribus. Sed iis ipsis media interjacent multa; et ut facies, quamquam ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam; ita vox, etsi paucas, quae nominari possint, continet species, propria cuique est; et non haec minus auribus, quam oculis illa dignoscitur. Augentur autem, sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura; et negligentia minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quae phonascis, convenit; tamen multa sunt utrisque communia: firmitas

*) I. e. canora. Cf. *Cicero* de Natura Deor. II. c. 58. §. 146.
**) Alii: *lenis*.

corporis, ne ad spadonum ac mulierum et aegrorum exilitatem vox nostra tenuetur; quod ambulatio *), unctio, veneris abstinentia, facilis ciborum digestio, id est frugalitas, praestat. Praeterea ut sint fauces integrae, id est molles ac leves, quarum vitio et frangitur et obscuratur et exasperatur et scinditur vox. Nam ut tibiae eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgatae, alium quassae sonum reddunt: ita fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, convulsae fractis sunt organis similes. Finditur etiam spiritus objectu aliquo, sicut lapillo tenues aquae, quarum fluxus etiamsi ultra paullum coit, aliquid tamen cavi relinquit post id ipsum, quod offenderat. Humor quoque vocem ut nimius impedit, ita consumtus destituit. Nam et fatigatio corpora non ad praesens modo tempus, sed etiam in futurum adficit. — Vocem deliciis non molliamus, nec imbuatur ea consuetudine, quae duratura non sit: sed exercitatio ejus talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, qua difficultas omnis levatur. Ediscere autem, quo exercearis, erit optimum, — et ediscere quam maxime varia, quae et clamorem, et disputationem, et sermonem, et flexus habeant, ut simul in omnia paremur. — — Illud non sine causa est ab omnibus praeceptum, ut parcatur maxime voci in illo a pueritia in adolescentiam transitu. — — Non alia est autem ratio *pronunciationis*, quam ipsius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta esse debet, ita haec quoque. Emendata erit, id est, vitio

*) Cf. *Cicer.* ad Att. II, 23.

carebit, si fuerit os facile explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. Non enim sine causa dicitur, barbarum Graecumve. Nam sonis homines, ut aera tinnitu dignoscimus. Ita fiet illud, quod Ennius probat, quum dicit suaviloquenti ore Cethegum fuisse; non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait latrare non agere *). Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, quum in quadam primi libri parte **) puerorum ora formarem, opportunius ratus in ea aetate facere illorum mentionem, in qua emendari possunt. Itaque sit ipsa vox primum (ut sic dicam) sana, id est nullum eorum, de quibus modo retuli, patiatur incommodum; deinde non subsurda ***), rudis, immanis, dura, rigida, vana ****), praepinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, effoeminata; spiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. Dilucida vero erit pronunciatio primum, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes imputare †) et

*) *Cicer.* Brut. c. 15.

**) L. I c. 11.

***) Vox *subsurda* apud antiquos nuspiam, excepto hoc uno loco, exstat; facile tamen explicatur ex intelectu nominis ὑποκωφος. Igitur, ut *Gesnerus* recte monere videtur, eam vocem significat, quae Ciceroni de Orat. III. c. 11. dicitur *extra modum absona atque absurda.* — Alii legunt: *surda.*

****) Burmannus *vasta*, alii *rava substituunt.* Gesnerus *varia* et quidvis fere, quam quod legitur, mavult.

†) Alii: *computare.*

velut adnumerare literas molestum et odiosum. Nam et vocales frequentissime coeunt et consonantium quaedam insequente vocali dissimulantur. Secundum est, ut sit oratio *distincta*, id est, ut, qui dicit, et incipiat, ubi oportet, et desinat. Observandum etiam, quo loco sustinendus, et quasi suspendendus sermo sit, (quod *) Graeci ὑποδιαστολὴν, vel ὑποστιγμὴν vocant), quo deponendus. — — Sed in ipsis etiam distinctionibus tempus alias brevius, alias longius dabimus. Interest enim, sermonem finiat, an sensum. — Sunt aliquando et sine respiratione quaedam morae etiam in periodis, ut in illa: *In coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum etc.* **). Multa habet ***) membra; sensus enim sunt alii atque alii: et sicut una circumductio est, ita paullum morandum in his intervallis; non interrumpendus est contextus. Et e contrario spiritum interim recipere sine intellectu morae necesse est; quo loco quasi surripiendus est: alioqui si inscite recipiatur, non minus adferat obscuritatis, quam vitiosa distinctio. Virtus autem distinguendi fortasse sit parva, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest. ORNATA est pronunciatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata ****), flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra, auribus sedens.

*) Alii: *quam*.

**) *Cic.* Philipp. II. c. 25.

***) Hanc lectionem commendatam a Rollino primus recepit Gesnerus ad periodum referens, quum apud reliquos sit *habent*.

****) Burmannus conjicit *lata;* sed haec in vitiis ponitur a Fabio: alii *laeta*. Cf. *Ed. Spald. not. crit.* Vol. IV. p. 357.

Est enim quaedam ad auditum accommodata, non magnitudine, sed proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in se, qui desiderantur, sonos intentionesque, et *toto*, ut ajunt, *organo* instructa *); cui aderit lateris firmitas, spiritus quum spatio pertinax, tum labori non facile cessurus. Neque gravissimus, ut in musica, sonus, nec accutissimus orationibus convenit. Nam et hic, parum clarus nimiumque plenus, nullum afferre animis motum potest: et ille praetenuis et immodicae claritatis, quum est ultra verum, tum neque pronunciatione flecti, neque diutius ferre intentionem potest. Nam vox, ut nervi, quo remissior, hoc et gravior et plenior: quo tensior, hoc tenuis et acuta magis est. Sic ima vim non habet, summa rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum sonis: hique, quum augenda intentio est, excitandi; quum submittenda, sunt temperandi. Nam prima est observatio recte pronuntiandi, *aequalitas*, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata submissis: et inaequalitate horum omnium, sicut pedum, claudicet. Secunda *varietas* est, quod **) solum ***) est pronunciatio. Ac ne quis pugnare inter se putet aequalitatem et varietatem: quum illi virtuti contrarium sit vitium inaequalitas; huic, qui dicitur μονοειδής, quasi quidam unus adspectus. Ars porro variandi quum gratiam praebet ac renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit,

*) Explicationem huj. loci dedit *Gesnerus*. Cf. *Ed. Spald.* Vol. IV. p. 359.

**) Alii: *quae*.

***) Cod. Gothanus *sola*, quod verum putat Gesn.

ut standi, ambulandi, sedendi, jacendi vices sunt, nihilque eorum pati unum diu possumus. Illud vero maximum, (sed id paullo post tractabimus), quod secundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda *) vox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam, quae Graece *μονοτονία* vocatur, una quaedam spiritus ac soni intentio, non solum ne dicamus omnia clamose, quod insanum est; aut intra loquendi modum, quod motu caret; aut submisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio: sed ut in iisdem partibus, iisdemque adfectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio **), aut inceptio, aut transitus postulabit: ut, qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. — Vox autem ultra vires urgenda non est. Nam et suffocata saepe, et majore nisu minus clara est, et interim elisa in illum sonum erumpit, cui Graeci ***) nomen a gallorum immaturo cantu dederunt. Nec *volubilitate* nimia confundenda, quae dicimus: qua et distinctio perit, et adfectus, et nonnumquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est vitium nimiae tarditatis. Nam et difficultatem inveniendi fatetur, et segnitia solvit ani-

---

*) Alii: *confirmanda.*

**) Gesn. transpositis verbis legere mavult *inceptio aut depositio*, sed, ut videtur, praeter necessitatem.

***) Hoc loco κλωσμὸν multi inserunt; quod interim nomen abest a libris bonae notae pluribus. Vid. de hac voce *Schneid.* Lexic. Graec. — De re ipsa cf. *Juvenal.* III. 90.

mos, et, in quo est aliquid, temporibus praefinitis aquam *) perdit. Promtum sit os, non praeceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam; nec eo usque trahatur, donec deficiat. Nam et deformis est consumti illius sonus, et respiratio sub aqua diu pressi similis, et receptus longior, et non opportunus: ut qui fiat non ubi volumus, sed ubi necesse est. Quare longiorem dicturis periodum colligendus est spiritus, ita tamen, ut id neque diu, neque cum sono faciamus, neque omnino ut manifestum sit: relliquis partibus optime inter juncturas sermonis revocabitur. Exercendus autem est, ut sit quam longissimus: quod Demosthenes ut efficeret, scandens in adversum continuabat, quam posset, plurimos versus **). Idem, quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens dicere domi solebat. Est interim et longus, et plenus, et clarus satis spiritus, non tamen firmae intentionis, ideoque tremulus: ut corpora, quae adspectu integra, nervis parum sustinentur. Id *βράγχον* ***) Graeci vocant. Sunt, qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed

*) De clepsydris loquitur, quibus tempus ad dicendum praefinitum notabatur.

**) Cf. Noster l. X. c. 3. §. 25.

***) De hac in hoc loco voce critici certant. Cf. Ed. *Spal.* Vol. IV. p. 371. not. crit. *βράγχον* medici explicant per obscuritatem vocis a nimio humore faucium ortam: quae quum ab hoc loco spirituque et longo et pleno et claro plane aliena sit, Gesn. conjicit, *βραγμὸν* a *βραχεῖν*, verbo *ὠνοματοπεποιημένῳ*, significante crepitum edere. Certe Graeci spiritum istum tremulum ita aptissime expresserunt.

resorbent. Sunt, qui crebro anhelitu, et introrsum etiam clare sonante, imitentur jumenta onere et jugo laborantia. Quod adfectant quoque, tamquam inventionis copia urgeantur, majorque vis eloquentiae ingruat, quam quae emitti faucibus possit. Est aliis concursus oris, et cum verbis suis colluctatio. Jam tussire, et exspuere crebro, et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, et oris humore proximos spargere, et majorem partem spiritus in eloquendo per nares effundere, etiam si non utique vocis sunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, potissimum huic loco subjiciantur. —

Jam tempus est dicendi, quae sit APTA pronunciatio. Quae certe ea est, quae iis, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem maxima ex parte praestant ipsi motus animorum, sonatque vox, ut feritur. Sed quum sint alii veri adfectus, alii ficti et imitati: veri naturaliter erumpunt, ut dolentium, irascentium, indignantium: sed carent arte, ideoque non sunt disciplina et ratione *) formandi. Contra, qui effinguntur imitatione, artem habent: sed hi carent natura, ideoque in his primum est bene affici, et concipere imagines rerum, et tamquam veris moveri: sic velut media vox, quem habitum a nostis acceperit, hunc judicum animis dabit. Est enim mentis index, et velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaque laetis in rebus plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, et velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, et aspera ac densa, et respiratione crebra:

*) Ita secundum Almel. cui Burmannus ac Gesnerus adsentiunt. Reliqui: *disciplinae traditione.*

neque enim potest esse longus spiritus, quum immoderate effunditur. Paullum in invidia facienda lentior *), quia non fere ad hanc nisi inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis et submissa. Suadentium, et monentium, et pollicentium, et consolantium gravis; in metu et verecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa et flebilis, et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, et securae claritatis, in expositione ac sermonibus recta, et inter acutum sonum et gravem media. Attollitur autem concitatis adfectibus, compositis descendit, pro utriusque rei modo altius vel inferius. Quid autem quisque in dicendo postulet locus, paullum differam, ut de *gestu* prius dicam: qui et ipse voci consentit, et animo cum ea simul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, satis vel ex eo patet, quod pleraque, etiam citra verba, significat. Quippe non manus solum, sed nutus etiam declarant nostram voluntatem, et in mutis pro sermone sunt, et saltatio frequenter sine voce intelligitur atque afficit, et ex vultu ingressuque perspicitur habitus animorum: et animalium quoque sermone carentium ira, laetitia, adulatio et oculis et quibusdam aliis corporis signis deprehenditur. Nec mirum, si ista, quae tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent; quum pictura, tacens opus, et habitus semper ejusdem, sic in intimos penetret affectus, ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur. Contra si gestus ac vultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes: non auc-

*) Alii: *lenior*, alii: *levior*.

toritas modo verbis, sed etiam fides desit. Decor quoque a gestu atque a motu venit. Ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat *). Adeo, quamvis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit, quod efficeret. Praecipuum vero in actione, sicut in corpore ipso, caput est, quum ad illum, de quo dixi, decorem, tum etiam ad significationem. Decoris illa sunt, ut sit primo rectum, et secundum naturam. Nam et dejecto humilitas, et supino arrogantia, et in latus inclinato languor, et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur. Tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum gestu concordet, et manibus ac lateribus obsequatur. Aspectus enim semper eodem vertitur, quo gestus, exceptis quae aut damnare, aut non concedere, aut a nobis removere oportebit: ut idem illud vultu videamur aversari, manu repellere:

— — *Dii talem avertite pestem.*
— — *Haud equidem tali me dignor honore* **).

Significat vero plurimis modis. Nam praeter annuendi, renuendi, confirmandique motus, sunt et verecundiae, et dubitationis, et admirationis, et indignationis noti et communes omnibus. Solo tamen eo facere gestum, scenici quoque doctores vitiosum putaverunt. Etiam frequens ejus nutus non caret vitio: adeo jactare id, et comas excutientem rotare, fanaticum est.

*) De hac aliisque Demosthenis exercitationibns cf. *Plutarch.* in vit. Demosthen. c. 7. et *Libanius* in vit. Demosth. p. 4. ed. Demosth. Reisk.

**) *Virg.* Aen. III, 620. et I, 335.

Dominatur autem maxime vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicimus: hoc quosdam amamus, hoc odimus: hoc plurima intelligimus, hic est saepe pro omnibus verbis. Itaque in iis, quae ad scenam componuntur, fabulis artifices pronunciandi a personis quoque affectus mutuantur: ut sit *Aërope* in tragoedia *tristis, atrox Medea, attonitus Ajax, truculentus Hercules* *). In comoediis vero praeter aliam observationem, qua servi, lenones, parasiti, rustici, milites, meretriculae, ancillae, senes austeri ac mites, juvenes severi ac luxuriosi, matronae, puellae, inter se discernuntur, pater ille, cujus praecipuae partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio: atque id ostendere maxime latus actoribus moris est, quod cum iis, quas agunt, partibus congruat. Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus eminet, ut citra motum quoque et hilaritate enitescant, et tristitiae quoddam nubilum ducant. Quin etiam lacrimas his natura mentis indices dedit: quae aut erumpunt dolore, aut laetitia manant. Motu vero intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt: quae, ut actus poposcerit, fingentur. Rigidi vero et extenti, aut languidi et torpentes, [aut stupentes], aut lascivi et mobiles, aut natantes et quadam voluptate suffusi, aut limi et, ut sic dicam, venerei, aut poscentes aliquid pollicentesve nunquam **) esse

*) Cf. ad hunc locum, quae in ed. *Spald.* doctissime adnotantur Vol. IV. p. 387.

**) Alii: *nonnumquam.*

debebunt. Nam opertos compressosve eos in dicendo quis, nisi plane rudis aut stultus, habeat? Et ad haec omnia exprimenda in palpebris etiam et genis est quoddam deserviens iis ministerium. Multum et superciliis agitur. Nam et oculos formant aliquatenus, et fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: ut una res in ea plus valeat, sanguis ille, qui mentis habitu movetur, et, quum infirmam verecundia cutem accepit, effunditur in ruborem; quum metu refugit, abit omnis et pallore frigescit; temperatus medium quoddam serenum efficit. Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inaequalitate, ut modo de persona comica dixeram, dissident, aut contra id, quod dicimus, finguntur. *Ira* enim contractis, *tristitia* deductis, *hilaritas* remissis ostenditur. Annuendi quoque et renuendi ratione demittuntur, aut allevantur. Naribus labrisque non fere quicquam decenter ostendimus, tametsi derisus iis, contemptus, fastidium significari solet. Nam et *corrugare nares*, ut Horatius ait *), et inflare, et movere, et digito inquietare, et pulso subito spiritu excutere, et diducere saepius, et plana manu resupinare, indecorum est: quum emunctio etiam frequentior non sine causa reprehendatur. Labra et porriguntur male, et scinduntur, et astringuntur, et diducuntur, et dentes nudant, et in latus ac paene ad aurem trahuntur, et velut quodam fastidio replicantur, et pendent, et vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea et mordere, deforme est: quum etiam in efficiendis verbis modicus eorum esse debeat motus. Ore enim magis, quam

*) *Horat.* Epp. I. 5, 23.

labris, loquendum est. Cervicem rectam oportet esse, non rigidam aut supinam. Collum diversa quidem, sed pari deformitate et contrahitur et tenditur: sed tenso subest et labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum minus claram, et quasi latiorem presso gutture facit. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est. Breviatur enim cervix, et gestum quendam humilem atque servilem, et quasi fraudulentum facit, quum se in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt. Brachii moderata projectio remissis humeris, atque explicantibus se in proferenda manu digitis, continuos et decurrentes locos *) maxime decet. At quum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud, *Saxa atque solitudines voci respondent,* exspatiatur in latus, et ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio; *Manus* vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant, quum paene ipsam verborum copiam persequantur. Nam ceterae partes loquentem adjuvant, hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur. His poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus; gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Non concitant? inhibent? supplicant? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonstrandis locis ac personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? Ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur.

---

*) *Decurrentes* locos, i. e. in aequo quasi campo sine impedimentis progredientes. Cf. Noster l. XII. c. 9. §. 2.

Et hi quidem, de quibus sum locutus, cum ipsis vocibus naturaliter exeunt gestus: alii sunt, qui res *imitatione* significant: ut si aegrum, tentantis venas medici similitudine, aut citharoedum, formatis ad modum percutientis nervos manibus, ostendas; quod est genus quam longissime in actione fugiendum. Abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensum magis, quam ad verba, accommodatus: quod etiam histrionibus paullo gravioribus facere moris fuit. Ergo ut ad se manum referre, quum de se ipso loquatur, et in eum, quem demonstret, intendere, et aliqua his similia permiserim: ita non, effingere status quosdam, et quicquid dicet, ostendere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac voce servandum est. — — [Propositis jam illustramentis pronunciationis vel vitiis] multa cogitare debet orator. Primum *quid,* apud *quos, quibus praesentibus* sit acturus? Nam ut dicere alia aliis et apud alios magis convenit, sic etiam facere. Neque eadem in voce, gestu, incessu apud principem, senatum, populum magistratum, privato, publico judicio, postulatione *), actione similiter decent. Quam differentiam subjicere sibi quisque, qui animum intenderit, potest, tum qua de re dicat, et efficere quid velit. Rei quadruplex observatio est. Una in tota causa. Sunt enim tristes, hilares sollicitae, securae, grandes, pusillae; ut vix umquam ita sollicitari partibus earum debeamus, ut non summae meminerimus. Altera, quae est in differentia partium, ut in prooemio, narratione, argumentatione, epilogo.

---

*) Postulatio est petitio privata apud judicem, ut liceat aliquem accusare.

Tertia in sententiis ipsis, in quibus secundum res et adfectus variantur omnia. Quarta in verbis, quorum ut est vitiosa, si efficere omnia velimus, imitatio, ita quibusdam, nisi sua natura redditur, vis omnis aufertur. — — Unum jam his adjiciendum est, quum praecipue in actione spectetur *decorum*, saepe *aliud alios decere*. Est enim latens quaedam in hoc ratio et inenarrabilis: et ut vere hoc dictum est *), caput esse artis, decere, quod facias; ita id neque sine arte esse, neque totum arte tradi potest. In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipsa delectant. — — Quare norit se quisque, nec tantum ex communibus praeceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandae actionis. Neque illud tamen est nefas, ut aliquem vel omnia vel plura deceant. Hujus quoque loci clausula sit eadem necesse est, quae ceterorum est, regnare maxime modum. Non enim comoedum esse, sed oratorem volo. Quare neque in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, adfectionibus moleste utemur; ut si sit in scena dicendum:

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Quum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias? **)

Hic enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diversos nutus actor adhibebit. Aliud oratio sapit, nec vult nimium esse condita. Actione enim constat non imitatione. Quare non immerito repre-

*) A *Cicerone* de Orat. I. c. 29.
**) *Terent. Eunuch.* Act. I. sc. 1.

henditur pronunciatio vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutuationibus resultans. Nec inutiliter ex Graecis veteres transtulerunt, quod ab his sumtum Lenas Popilius posuit, esse hanc inotiosam actionem *). Optime igitur idem, qui omnia, Cicero praeceperat, quae supra ex Oratore **) posui. Quibus similia in Bruto de M. Antonio dicit ***). Sed jam recepta est actio paullo agitatior, et exigitur et quibusdam partibus convenit; ita tamen temperanda, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem ****).

*) Ἄσχαλον ὑπόκρισιν s. nimis negotiosam.

**) Cap. 18. §. 59. 60.

***) Cap. 38. §. 141.

****) Quum in superioribus plura a Fabio ipso *Ciceronis* de actione loca laudata habeamus; in rem conducet, gravissima eorum hic breviter attigisse: omissis tamen, quae ap. *Auct. ad Herenn.* (l. III. c. 11—16.) exstant.

Cicero (De or. I. c. 5. §. 18.)

Quid ego de *actione* (ipsa) plura dicam, quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est; quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat: in qua cum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? —

Idem (Orat. c. 17 et 18.)

Est [enim] *actio* quasi corporis quaedam eloquentia, cum constet e voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Itaque ille perfectus, quem jam dudum nostra indicat oratio, utcumque se affectum videri et animum audien-

tis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum: de quo plura dicerem, si hoc praecipiendi tempus esset, aut si tu hoc quaereres: dicerem etiam de gestu, cum quo junctus est vultus; quibus omnibus, dici vix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. Nam et *infantes* actionis dignitate eloquentiae saepe fructum tulerunt: et *diserti* deformitate agendi multi infantes putati sunt: ut jam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas, et secundas, et tertias actioni. Si enim eloquentia nihil sine hac, haec autem sine eloquentia, tanta est; certe plurimum in dicendo potest. Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce, atrociter dicere: et summissa, leniter: et inclinata, videri gravis, et inflexa, miserabilis. Mira est enim quaedam *natura vocis*; cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, et tam suavis varietas perfecta in cantibus. — Ipsa (enim) natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutum vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria. Ac vocis quidem *bonitas* optanda est; non est enim in nobis; sed tractatio, atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit et mutabit, omnes sonorum tum intendens, tum remittens, persequetur gradus: idemque motu sic utetur, nihil ut supersit in gestu. *Status* erectus et celsus; rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervicum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione, *brachii* projectione in contentionibus, contractione in remissis. *Vultus* vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem? in quo cum effeceris, nequid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam ut IMAGO est animi, vultus: sic indices oculi, quorum et hilaritatis, et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.

Idem (De or. l. III. c. 57—61.)

Sine dubio in omni re vincit imitationem veritas: sed ea, si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus; verum quia animi permotio, quae maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est, ut obscuretur, ac paene obruatur: discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia, et promta, sumenda. Omnis enim motus animi, suum quendam a natura habet vultum, et sonum, et gestum, totumque corpus hominis, et ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces, ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, laeve, asperum: contractum, diffusum: continenti spiritu, intermisso: fractum, scissum: flexo sono, attenuatum, inflatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur; hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum *colores*. Aliud enim voci genus iracundia sibi sumat: acutum, incitatum, crebro incidens; aliud miseratio ac maeror: flexibile, plenum, interruptum flexibili voce; aliud metus: demissum, et haesitans, et abjectum; aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis; aliud voluptas: effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum; aliud molestia: sine commiseratione grave quiddam, et uno pressu ac sono obductum. Omnes autem hos motus subsequi debet *gestus*, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius projectum, quasi quoddam *telum* orationis: supplosio pedis

in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in *ore* sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum; quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio: et imago animi, vultus est, indices oculi; nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere; neque vero est quisquam, qui eadem contuens, efficiat. — Quare oculorum est magna moderatio; nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis: est enim actio quasi sermo corporis; quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data: quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur; *verba* enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguae societate conjunctus est: sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet, iisdem enim *omnium animi* motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt et in se ipsi indicant. Ad actionis autem usum atque laudem maximam sine dubio partem *vox* obtinet, quae primum est optanda nobis; deinde, quaecumque erit, ea tuenda: de quo illud jam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur; equidem magnopere censeo serviendum. Sed illud videtur ab hujus nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis in rebus quod maxime est utile, id, nescio quo pacto, etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid ad aures nostras

et actionis suavitatem, quid est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius? — — In omni voce est quiddam medium, sed suum cuique voci; hinc, gradatim *ascendere* vocem, utile et suave est. Nam a principio clamare, agreste quiddam est, et illud idem ad firmandum est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, et tamen ab ipsa contentione revocabit. Est item contra quiddam in remissione gravissimum, quoque tanquam sonorum gradibus descenditur. Haec varietas, et hic per omnes sonos vocis cursus, et se tuebitur, et actioni afferret suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum hujus consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

ADPENDIX II.

DE VIA AC RATIONE COMPARANDI ARTIS LITERARIAE FACULTATEM *).

CAPUT I.

Praecepta nonnulla generalia.

§. 69.

Quintilianus. (Inst. or. l. X. c. 1.)

[Sed haec] eloquendi praecepta sicut cognitioni **) sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis *firma quaedam facilitas*, quae apud Graecos ἕξις nominatur, accesserit: ad quam *scribendo* plus, an *legendo*, an *dicendo* consequuntur, solere quaeri scio. Quod esset diligentius nobis examinandum, cura si qualibet earum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sint ***) inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille, ca-

---

*) Cf. Aesthet. liter. *vern.* Tom. II. p. 518 seqq.

**) Alii: *cogitationi.*

***) Alii: *sunt.*

rens lectore, fluit. Qui autem scivit, quae quoque *) sint modo dicenda, nisi tamen in procinctu paratamque ad omnes casus habuerit eloquentiam, velut clausos thesauros incubabit. Non autem ut quidquid praecipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe, cum sit in eloquendo positum oratoris officium, *dicere* ante omnia est: (atque hinc initium ejus artis fuisse manifestum est; proximam deinde *imitationem*, novissimam *scribendi* quoque *diligentiam*:) sed ut pervenire ad summa nisi ex principiis non potest, ita procedente jam opere minima incipiunt esse, quae prima sunt. Verum nos non, quomodo instituendus orator, hoc loco dicimus: nam id quidem aut satis aut certe uti potuimus dictum est: sed athleta, qui omnes jam perdidicerit a praeceptore numeros, quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit. Igitur eum, qui res invenire et disponere sciet, verba quoque et eligendi et collocandi rationem perceperit, instruamus, qua ratione, quae didicit **), facere quam optime, quam facillime possit.

Num ergo dubium est, quin ei velut opes sint quaedam parandae, quibus ubique, cumque desideratum erit, possit e constantia esse *copia rerum ac verborum* ***). Sed res propriae sunt cujusque causae aut paucis communes: verba in universas paranda. Quae si in rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum

*) Alii: *scierit, quo quaeque.*

**) Alii: *quo in oratione, quod didicerit.*

***) Alii: quibus *uti, ubicunque* des. erit, possit? *Eae constant* copia.

ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria aut magis ornata aut plus efficientia aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promtu atque, ut ita dicam, in conspectu, ut cum se judicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit electio. Et quae idem significarent solitos scio ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur *), effugiendae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset. Quod cum est puerile et cujusdam infelicis operae, tum etiam utile parum: turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque.

CAPUT II.

De ratione et utilitate legendi.

§. 70.

Quintil. (I. c 1: §. 8, seqq.)

Nobis autem *copia cum judicio* paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur *optima legendo atque audiendo* **). Non enim solum nomina ipsa rerum cognos-

---

*) Alii: *si brevi infra semet ipsum* etc.

**) De lectionum necessitate haec judicat *Seneca*, ep. 84. «Sunt autem [lectiones], ut existimo, necessariae; primum, ne sim me uno contentus: deinde, ut cum ab aliis quaesita cognovero, tum et de inventis judicem, et cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium; et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit.

cemus hac cura, sed cui quodque loco sit aptissimum. Omnibus enim fere verbis, praeter pauca, quae sunt parum verecunda, in oratione locus est. Nam scriptores quidem jamborum veterisque comoediae etiam in illis saepe laudantur: sed nobis nostrum opus interim tueri sat est. Omnia verba, exceptis de quibus dixi, sunt alicubi optima; nam et humilibus interim et vulgaribus opus, et quae nitidiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. Haec ut sciamus, atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus, et, ubicunque erunt posita, an conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi nullo modo possumus; quum omnem sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod infantes a mutis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quaedam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt *).

Sed ut copia verborum sic paratur, *ita non verborum tantum gratia* legendum vel audiendum est. Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis, quae traduntur artibus, cum eo, qui discit, perductus est, ut intelligere ea sine demonstrante et sequi jam suis viribus possit: quia, quae doctor praecepit, orator ostendit.

Alia vero audientes, alia legentes magis adjuvant. Excitat, qui dicit spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Vivunt omnia enim et

*) Nostrum, cum hoc scriberet, Psammetichi, regis Aegypti, pastori tradentis infantes, caprino ubere nutriendos, memorem fuisse, sunt, qui suspicentur. Historiam ipsam habes apud *Herodot.* II. 2.

moventur, excipimusque nova illa, velut nascentia, cum favore atque solicitudine. Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum, qui orant periculo, afficimur. Praeter haec vox et actio decora, commoda, ut quisque locus postulabit, pronunciandi (vel potentissima in dicendo) ratio, et, ut semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius judicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim et vitiosa pluribus placeant et a corrogatis laudentur etiam, quae non placent. Sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava judicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, sive dubites, sive memoriae affigere velis. Repetamus autem et tractemus, et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta, memoriae imitationique tradatur *).

*) Rectissime circa hoc *Seneca* praecipit (Ep 11.): «Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velit aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione agentibus hoc accidit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant; sed omnia cursim et properantes transmittunt.» — Et (ep. 45.): «Non refert, quam multos, sed quam bonos (scilic. libros) habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. — — Sed qualescunque sunt [libri], tu illos

Ac diu non nisi optimus quisque et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter ac paene ad scribendi solicitudinem: nac per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, praecipue oratio, cujus virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Saepe enim praeparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque in prima parte actionis dicit, quae sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis, quare dicta sint, ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repetenda. — Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum; nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur *). Summi enim sunt, homines tamen: acciditque his, qui, quidquid apud illos reperietur, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur.

---

sic lege, tamquam verum quaeram adhuc, non sciam et contumaciter quaeram. Non enim me cuiquam emancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum judicio credo; aliquid et meo vindico.» — *Idem* De *Tranquill. anim.* c. IX. in hanc rem monet: «Onerat discentem turba, non instruit; multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos.» — Ep. quoque 88. digna est, quae hic comparetur; itemque *Plinii epp.* l. II. ep. 5. Quis non meminit notissimi et verissimi hujus auctoris dicti? «*Non quam multa, sed quam multum.*»

*) Cf. *Cicero*, orat. c. 29. et *Horat.* ep. ad Pison. 359.

Modesto tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronunciandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent, quae non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa maluerim *). — —

Nota. (Circa *auctores*; qui legendi sint, de varietate opinionum sequentia adscripsisse satis habeo).

Quintil. (l. c. l. I. c. 1. §. 43 et 44.)

Quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur: alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitiae composita delectant. Ipsorum etiam, qui rectum dicendi genus sequi volunt, alii pressa demum et tenuia et quae minimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant: quosdam elatior ingenii vis et magis concitata et spiritus plena capit: sunt etiam lenis et nitidi et compositi generis non pauci amatores **).

Martialis (Epp. l. V. 10.)

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores;
Praeferat antiquos semper ut illa novis.

---

*) Quae de lectione in usum *artis oratoriae* sequuntur praecepta certe dignissima sunt, quae relegantur, huc autem, utpote singularem partem attingentia, non pertinent.

**) Quae *Fabius* de iis, qui *pueris et adolescentibus* auctores legendi sint, monenda habuit, proposita sunt l. I. c. 8. §. 5. et l. II. c. 5. §. 18 seqq. Cf. infra c. VIII.

Sic veterem ingrati Pompeji quaerimus umbram:
Sic laudant Catuli vilia templa senes.
Ennius est lectus salvo tibi Roma Marone:
Et sua riserunt secula Maeonidem:
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum.
Vos tamen, o nostri, ne festinate, libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Horatius (Epp. L. II. ep. 1.)

Si, quia Graecorum sunt antiquissima quaeque
Scripta, vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est, quod multa loquamur.
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunae: pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat jurgia finis.
Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne probosque?
An quos et praesens, et postera respuet aetas?
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno.
Utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
Paullatim vello, et demo unum, demo et item unum:
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens, et fortis, et alter Homerus,

Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est? non mentibus haeret
Pene recens? adeo sanctum est vetus omne poëma!
Ambigitur quoties uter utro sit prior: aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti;
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens: habet hos, numeratque poëtas
Ad nostrum tempus, Livi scriptoris ab aevo.
Interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa, fatetur:
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat aequo. —

CAPUT III.

De scribendi exercitatione.

§. 71.

a) De utilitate et modo scribendi.

Quintil. (l. I. c. 3.)

Et haec quidem auxilia [scilicet a lectione et imitatione petita] extrinsecus adhibentur: in iis autem, quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert *stilus.* Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum*

dicendi vocavit *). Cui sententiae personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, assignando,

---

*) *Cicer.* De or. I. c. 33. « Caput autem (scil. exercitationum) est (quod, ut vere dicam, minime facimus; est enim magni laboris, quem plerique fugimus) *quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister;* nec injuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. » *(Pergit deinde Cicero, stili, et quidem praesertim oratorii, exercitationem paucis praeceptis ita explicare):* « Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cujusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt: omnesque sententiae, verbaque omnia, quae sunt cujusque generis, maxime illustria, sub *acumen stili* subeant, et succedant necesse est: tum ipsa collocatio, conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero et modo. Haec sunt, quae clamores et *admirationes* in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi diu, multumque scriptitarit, etiam si vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur: atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio cum *remiges* inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut

judicium suum cum illius auctoritate conjunxit. Scribendum ergo quam diligentissime et quam plurimum. Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit; sic profectus, non a summo petitus, studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quosque *) casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum et usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effingi cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut majora animalia diutius visceribus parentis continerentur.

---

aut versibus propositis, quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, *verbis aliis* quam maxime possem lectis pronuntiarem; sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cujusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset, aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem; ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse: si aliis, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem; quibus lectis hoc assequebar, ut, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.»

*) Alii: ad subitos *quoque* casus.

§. 72.

b) De modo et materia scribendi.

Quintil. (Ibid. §. 5 seqq.)

Sed cum sit duplex quaestio, *quomodo* et *quae* maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus: quaeramus optima nec protinus offerentibus se gaudeamus: adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis *). Delectus enim rerum verborumque agendus est et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi: versentur omni modo numeri: non ut quodque se proferet verbum, occupet locum. Quae quidem ut diligentius exequamur, repetenda saepius erunt scriptorum proxima. Nam praeter id, quod sic melius junguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires et velut repetito spatio sumit impetum: quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant et ad illud aliud, quo contenditur spatium, cursu ferantur: utque in jaculando brachia reducimus et expulsuri tela nervos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad judicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium

*) Cf. *Plutarchus* in *Pericle*, ubi haec docet: Ἡ γὰρ ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρεια καὶ ταχύτης οὐκ ἐντίθησι βάρος ἔργῳ μόνιμον, οὐδὲ κάλλους ἀκρίβειαν· ὁ δ' εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ προσδανεισθεὶς χρόνος ἐν τῇ σωτηρίᾳ τοῦ γενομένου τὴν ἰσχὺν ἀποδίδωσιν.

accepimus: et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varius *). Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram et solicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paullatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio prosequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec est rei. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus, ut provideamus, et ferbcientes

---

*) Plerumque auctor est *Varus*. Sed lectio « *Varius* » certe praeferenda est: fuit enim Varius Virgilii nec non Horatii familiaris; cujus quidem opera (epicum et tragicum carmen, scil. Panegyricus in Augustum, et e tragico genere Thyestes) interciderunt. Fuit quoque Varius iste circa Virgilii opera occupatus. Cf. de Vario *Heindorf.* ad Hor. Sat. I. 5, 40. *Mitscherlich.* arg. Hor. carm. 1, 6. *Cicero*, (De or. I. c. 25.) Varium *vástum hominem* appellat. — De modo componendi versus Virgiliano vid *Aul. Gell.* N. A. l. XVII. c. 10, ubi *Favorinus*, philosophus, circa hanc rem loquens inducitur. — Contrarium quasi Virgilio hac in re habes *Lucilium* apud *Horat.* (Sat. I. I. 4. v. 5 sqq.):

Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles,
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror.

equos frenis quibusdam coerceamus: *) quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Neque enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo sufficere officiis civilibus possit, qui singulis actionum partibus velut insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit velint: increduli quidam et de ingenio suo pessimi meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem. Nec promtum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum illum, aequalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit Julius Florus **), in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, quae causa frontis tam adductae? Nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, quod omni labore materiae ad scribendum destinatae non

*) De hujus loci varietate lect. vid. ed. *Spald.* Vol. IV. p. 144. not. crit. In ed. *Frotscheri* ita legitur: *Et provideamus efferenti se quosdam frenos, quibus* etc.

**) De hoc Julio Floro, quisnam fuerit, disceptatur. Verisimillimum videtur, Nostrum velle eum, ad quem scripta est Horatii epistola libri primi tertia.

inveniret exordium: quo sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid tu*, inquit, *melius dicere vis quam potes?* Ita se res habet. Curandum est, ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Ut possimus autem scribere etiam plura celerius, non *exercitatio* modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio*; si non resupini spectantesque tectum et cogitationem murmure agitantes, expectaverimus, quid obveniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui judicis animus, intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia et quod sequitur, natura ipsa praescribit. Certa sunt enim pleraque et nisi conniveamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo semper putemus, optimum esse, quod latet; immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur, nisi quod non invenimus. Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc *silvam* vocant: repetunt deinde et componunt, quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis, quae fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam, rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequimur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.

Satis apparet ex eo, quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis sen-

tiam. Nam in stilo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem ejus manus: ille, cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare aut resistere aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostrae timentes. Quo fit, ut non rudia tantum et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quae nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille [qui excipit], si tardior scribendo aut incertior et diligendo velut offensatur, inhibetur cursus atque omnis, quae erat conceptae mentis intentio, mora *) et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae apertiorem motum animi sequuntur quaeque ipsa animum quodammodô concitant, quorum est jactare manum, torquere vultum, sinum et latus interim objurgare, quaeque Persius notat, cum leviter **) dicendi genus significat:

Nec pluteum, inquit, *caedit nec demorsos sapit ungues:* ***)

etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus.

Denique, ut semel, quod est potentissimum, dicam, secretum in dictando perit. Atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen pro-

---

*) Hanc, quam recepit *Frotcher*. lectionem magis probaverim. Ed. Spald ita habet: ille, qui excipit, si tardior *in* scribendo, *aut inertior in legendo*, velut *offensator fuerit*, inhibetur — *concepta* mentis. — Cf. Ed. *Spald.* Vol. IV. p. 154. not. crit.

**) *Gesnerus* vult: *leniter*; at male, nam sensui parum respondet.

***) *Pers.* Sat. 1, 106.

tinus audiendi, qui credunt, aptissima in hoc nemora silvasque; quod illa coeli libertas, locorum amoenitas, sublimem animum et beatiorem spiritum parent. Mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa, quae ipsa delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: et quocunque respexit, desinit intueri, quod propositum erat. Quare silvarum amoenitas et praeterlabentia flumina et inspirantes ramis arborum aurae volucrumque cantus et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt, ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi *). Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc praecipue bona valetudo, quaeque eam maxime praestat, frugalitas necessaria est: cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod somno supererit, haud deerit. Obstat enim diligentiae scribendi etiam fatigatio: et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus.

*) De hac Demosthenis exercitatione vid. *Plutarch.* in vita Demosthen.

Sed silentium et secessus et undique liber animus, ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere: ideoque non statim, si quid obstrepet, abjiciendi codices erunt et deplorandus dies, verum incommodis repugnandum et hic faciendus usus, ut omnia, quae impedient, vincat intentio: quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quae oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus et itinere deerremus: non consequemur idem, si et voluerimus? Non est indulgendum causis desidiae. Nam si nonnisi refecti, nonnisi hilares, nonnisi omnibus aliis curis vacantes, studendum existimaverimus, semper erit, propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conviviis etiam, faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quae idem ille tantus amator secreti Demosthenes, in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expavescere *).

Illa quoque minora (sed nihil in studiis parum est) non sunt transeunda: scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget; quae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum et cogitationis impetum frangunt. Relinquendae autem in utrolibet genere

*) Cf. *Libanius* in vit. Demosth. et *Cicero*, De fin. bon. et mal. l. V. c. 2. §. 5.

contra erunt vacuae tabellae, in quibus libera adjiciendi sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt; aut certe novorum interpositionem priora confundant. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus juvenem studiosum alioqui praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur; idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in quo notentur, quae scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis, quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpent enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est, quia interim elabuntur, interim memoriae sui *) intentos ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in deposito.

Id. Ibid. (c. 5.)

Proximum est, ut dicamus, *quae praecipue scribenda sunt.* Hoc exuberantis sit quidem operis, ut explicemus, quae sint materiae, quae prima aut secunda aut deinceps tractanda sint: nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum, et secundo, quo robustiorum studiis ordinem dedimus: **) sed, de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maxime veniat.

Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicarant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse ***). Id Cicero

*) Alii: *suae.*

**) Fortasse L. I. c. 1. §. 35. et l. II. c. 6.

***) *Cicer.* De or. I. 34.

sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos *). Id Messalae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes: adeo, ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant et plurimum artis in eloquentiam intulerant: et hos transferentibus verbis uti optimis licet: omnibus enim utimur nostris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est: quia plerumrumque a Graecis Romana dissentiunt.

Sed et illa ex Latinis conversio multum et ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest: et verba, poetica libertate audaciora, non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem. Sed et ipsis sententiis adjicere licet oratorium robur et omissa supplere, effusa substringere. Neque ego paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum, aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. Nisi forte histrionum

---

*) *Platonis* quidem Timaeum et Protagoram, *Xenophontis* autem Oeconomicum.

multa circa voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius, quod invenimus, esse neque par: est certe proximus locus. An vero ipsi non bis ac saepius de eadem re dicimus, et quidem continuas nonnumquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno genere bene diceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi plurimaeque eodem viae ducunt. Sua brevitati gratia, sua copiae; alia translatis virtus, alia propriis; hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid, quod auctores maximi sic diligentius cognoscantur? *) Non enim scripta lectione secura transcurrimus; sed tractamus singula et necessario introspicimus et quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus.

Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci solent. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam in illa multiplici *personarum rerum, temporum, locorum, dictorum, factorum* diversitate facile delitescet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere, quae natura contracta sunt, augere

---

*) Alii: *cognoscuntur.*

parva, varietatem similibus, voluptatem expositis dare et bene dicere multa de paucis.

In hoc optime facient *infinitae quaestiones*, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero jam princeps in republica exerceri solebat *). His confinis est destructio et confirmatio sententiarum. Nam cum sit sententia decretum quoddam atque praeceptum; quod de re, idem de judicio rei quaeri potest. Tum *loci communes*, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam qui haec recta tantum et in nullos flexus recedentia copiose tractaverit, utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit, eritque in omnes causas paratus. Omnes enim generalibus quaestionibus constant. — *Declamationes* vero, quales in scholis rhetorum dicuntur, si modo sunt ad veritatem accommodatae et orationibus similes, non tantum dum adolescit profectus, sunt utilissimae, quae inventionem et dispositionem pariter exercent, sed etiam cum est consummatus ac jam in foro clarus. Alitur enim atque enitescit, velut pabulo laetiore, facundia et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. Quapropter *historiae* nonnunquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda et *dialogorum* libertate gestiendum. Ne *carmine* quidem ludere, contrarium fuerit; sicut athletae, remissa quibusdam temporibus

*) *Ciceronis* definitionem de thesi habes in *Orat.* c. 14. «Quaestio a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta, appellatur θέσις.» — Id. *Top.* c. 21. «Quaestionum duo sunt genera; alterum *infinitum*, alterum *definitum*. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos causam; infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos *propositum* possumus nominare.»

ciborum atque exercitationum certa necessitate, otio et jucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est, deteratur fulgor et durescat articulus et ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur.

Sed quemadmodum forensibus certaminibus excitatos et quasi militantes reficit ac reparat haec velut sagina dicendi: sic adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri et inanibus se simulacris usque adeo, ut difficilis ab his digressus sit, assuefacere, ne ab illa, in qua prope consenuerint umbra, vera discrimina, velut quendam solem, reformident *). Quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur: ut, cum ei, summam in scholis opinionem obtinenti, causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur **). Ita illi coelum

*) Alii: certaminibus *exercitatos*, et — inanibus simulacris — ut *difficile* ab his *digressos* sit assuefacere, ne etc.

**) De *Porcio Latrone* et declamationibus cf. *M. Seneca* in praef. l. IV. controverss. ubi haec tradit: «Qui declamationem parat, scribit, non ut vincat, sed ut placeat. Omnia itaque lenocinia ita conquirit: argumentationes, quia molestae sunt, et minimum habent floris, relinquit: sententiis explicationibusque audientes delinire contentus est. Cupit enim se approbare, non causam. Sequitur autem hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria deserant, dum speciosa sectantur. Accedit etiam illud, quod adversarios quamvis fatuos fingunt, respondent illis et quae volunt, et cum volunt. Praeterea nihil est, quod errorem aliquo damno castiget: stultitia

novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Quare juvenis, qui rationem

---

eorum gratuita est. Vix itaque in foro futurus periculosus stupor discuti potest: qui crevit, dum tutus est. Quid, quod laudationibus crebris sustinentur, et memoria illorum assuevit, certis intervallis quiescere? Cum ventum est in forum, et desiit illos ad omnem gestum plausus excipere, aut deficiunt, aut labant. Adjice nunc, quod ab aliis nullius interventu excutitur. Nemo ridet, nemo ex industria obloquitur: familiares sunt omnium vultus. In foro, ut nihil aliud, ipsum illos forum turbat: hoc, quod vulgo narratur, an verum sit, tu melius potes scire. Declamatoriae virtutis *Latronem Porcium* unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio, propinquo suo, diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet: nec ante potuisse confirmari, tectum ac parietes desiderantem, quam impetravit, ut judicium ex foro in basilicam transferretur. Usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, coelum denique pati nesciant. Non est autem utilis exercitatio, nisi quae operi simillima est illi, ad quod exercet: itaque durior solet esse vero certamine. Gladiatores gravioribus armis discunt, quam pugnant: diutius illos magister armatos, quam adversarius sustinet. Luctantes binos simul ac ternos fatigant, ut facilius singulis resistant. Cursores quod intra exiguum spatium de velocitate eorum judicetur, id saepe in exercitatione decurrunt, quod semel decursuri sunt in certamine. Multiplicatur ex industria labor, quo condiscimus, ut levetur, quo decernimus. In scholasticis declamationibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt; in foro partem accipiunt, in schola eligunt: illic judici blandiuntur, hic inserviunt: illic inter fremitum circumsonantis turbae intendendus animus est, vox ad aures judicis perferenda est: hic ex vultu dicentis pendent omnium vultus. Itaque velut ex umbroso et obscuro prodeuntes loco, clarae lucis fulgor obcaecat: sic

inveniendi eloquendique a praeceptoribus diligenter acceperit: quod non est infiniti operis, si docere sciant et velint; exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem, quod apud majores fieri solebat, deligat, quem sequatur, quem imitetur; judiciis intersit quam plurimis et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator. Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo, et utrinque tractet et, quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Cestius contra Ciceronis actionem, habitam pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione.

Citius autem idoneus erit juvenis, quem praeceptor coegerit in declamando quam simillimum esse veritati et per totas ire materias: quarum nunc facillima, ut maxime favorabilia decerpunt. Obstant huic, quod secundo loco posui, fere turba discipulorum et consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam persuasio patrum, numerantium potius declamationes quam aestimantium. Sed quod dixi primo, ut arbitror, libro *), nec ille se bonus praeceptor, majore numero, quam sustinere possit, onerabit: et inanem loquacitatem recidet, ut omnia, quae sunt in controversia, non, ut quidem volunt,

---

istos a scholis in forum transeuntes, omnium tamquam nova et inusitata perturbant: nec ante in oratorem corroborantur, quam multis perdomiti contumeliis puerilem animum, scholasticis deliciis languidum, vero labore durarunt. »

*) L. I. c. 2 §. 15.

quae in rerum natura, dicantur: et vel longiore potius dierum spatio laxabit dicendi necessitatem, vel materias dividere permittet. Una enim diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatae et quasi degustatae. Propter quod accidit, ut nec suo loco quidquid ponatur, nec illa, quae prima sunt, servent suam legem: juvenibus flosculos omnium partium in ea, quae sunt dicturi, congerentibus: quo fit, ut, timentes, ne sequentia perdant, priora confundant. —

§. 73.

c) De emendatione.

Quintil. (l. X. c. 4.)

Sequitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est, stilum non minus agere, quum delet. Hujus autem operis est, *adjicere, detrahere, mutare.*

Sed facilius in iis simpliciusque judicium, quae replenda vel dejicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata digerere, soluta componere, exsultantia coërcere, duplicis operae. Nam et damnanda sunt, quae placuerant; et invenienda, quae fugerant. Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponuntur, ut ad ea post intervallum, velut nova atque aliena, redeamus, ne nobis scripta nostra, tanquam recentes fetus, blandiantur.

Sed neque hoc contingere semper potest, praesertim oratori, cui saepius scribere ad praesentes usus necesse est: et emendatio finem habeat. Sunt enim, qui ad omnia scripta, tanquam vitiosa, redeant, et quasi nihil fas sit rectum esse, quod primum est, melius existiment, quicquid est aliud,

idque faciant, quoties librum in manus resumpserant, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque, ut cicatricosa sint, et exsanguia, et cura pejora. Sit ergo aliquando, quod placeat, aut certe quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse debet modus. Nam quod Cinnae Zmyrnam novem annis accepimus scriptam *), et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium **).

CAPUT IV.

De imitatione.

§. 74.

Dionys. Halicarn. (De priscis scriptoribus censura c. I. Vol. V. p. 415 seqq. ed. Weisk.)

Ἔτι δεῖ τοῖς τῶν παλαιῶν ἐντυγχάνειν συγγράμμασιν, ἵν' ἐντεῦθεν μὴ μόνον τῆς ὑποθέσεως τὴν ὕλην, ἀλλὰ καὶ τὸν τῶν ἰδιωμάτων ζῆλον χορηγηθῶμεν. ἡ γὰρ ψυχὴ τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὑπὸ τῆς συνεχοῦς πα-

---

*) *Zmyrnae*, vel Smyrnae s. Myrrhae historiam obscuro carmine composuerat Cinna, eique novem annos incubuisse dicitur.

**) *Plinius* (Epp. l. VII. ep. 17.) ita de suo *emendandi* modo loquitur: « Nullum emendandi genus omitto. Ac primum, quae scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado annotanda, notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito; novissime pluribus recito; ac, si quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Nam tanto diligentius, quanto sollicitius intendo. *Optime autem reverentia, pudor, metus judicant.* »

ρατηρήσεως, τὴν ὁμοιότητα τοῦ χαρακτῆρος ἐφέλκεται. ὁποῖόν τι καὶ γυναῖκα ἀγροίκου παθεῖν ὁ μῦθος λέγει. Ἀνδρὶ, φησὶ, γεωργῷ τὴν ὄψιν αἰσχρῷ παρέστη δέος, μὴ τέκνων ὁμοίων γένηται πατήρ· ὁ φόβος δ' αὐτὸν οὗτος εὐπαιδίας ἐδίδαξε τέχνην. καὶ εἰκόνας πλάσας, οἶμαι, εὐπρεπεῖς, ὡς αὐτὰς βλέπειν εἴθισε τὴν γυναῖκα· καὶ μετὰ ταῦτα συγγενόμενος αὐτῇ, τὸ κάλλος εὐτύχησε τῶν εἰόνων *). οὕτω καὶ λόγων μιμήσεων ὁμοιότης τίκτεται, ἐπὰν ζηλώσῃ τις, ὃ παρ' ἑκάστῳ τῶν πολλῶν βέλτιον εἶναι δοκεῖ· καθάπερ ἐκ πολλῶν ναμάτων εἴ τις κομίσας ῥεῦμά τι, εἰς τὴν ψυχὴν μετοχετεύσει. καί μοι παρίσταται πιστώσασθαι τὸν λόγον τοῦτον ἔργῳ. Ζεῦξις ἦν ζωγράφος καὶ παρὰ Κροτωνιατῶν ἐθαυμάζετο· καὶ αὐτῷ, τὴν Ἑλένην γράφοντι γυμνὴν, γυμνὰς ἰδεῖν τὰς παρ' αὐτοῖς ἔπεμψαν παρθένους· κἀκ πολλῶν μερῶν συλλογίσαντι συνέθηκεν ἡ τέχνη τέλειον καλὸν **). ἰδοὺ πάρεστι

*) Alii: ἐκγόνων.

**) Exemplum hoc, quod a *Dionys.* supra narratum habes, paullo fusius a *Cicerone* quoque refertur (De Invent. l. II. c. 1.) Cui cum quaedam de imitatione praecepta subjiciantur, locum huc transscriptum legas: « Crotoniatae quondam, quum florerent omnibus copiis, et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit: et, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit: quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt

καί σοι, καθάπερ ἐν θεάτρῳ, καλῶν σωμάτων ἰδέας ἐξιστορεῖν, καὶ τῆς ἐκείνων ψυχῆς ἀπανθίζεσθαι τὸ

enim, si, quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum, neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. (Etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus, corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxime laude retulerunt). Cum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt, sorores sunt apud nos, virgines; quare, qua sint illae dignitate, potes ex his suspicari. Praebete igitur mihi, quaeso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatae *publico de consilio* virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poëtae memoriae tradiderunt, quod ejus essent judicio probatae, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset; neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideo, quod nihil simplici in genere omni ex parte *profectum* natura expolivit; itaque, tanquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur. (Cap. 2.) Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cujus omnes partes, quocumque essent in genere, exprimendae nobis necessario viderentur: sed, omnibus, unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus, et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex his enim, qui

κρεῖττον· καὶ τὸν τῆς πολυμαθείας ἔρανον συλλέγοντι, οὐκ ἐξίτηλον χρόνῳ γενησομένην εἰκόνα τυποῦν, ἀλλ' ἀθάνατον τέχνης κάλλος, ἵνα τ' ἐκδήλους καὶ σαφεῖς τοῖς ἀκροωμένοις τὰς ἐκλογίας ἔχῃ τὸ μίμημα.

§. 75.

Seneca (Ep. 84.)

— — — — — — — — — —
— — — — — — — — — —

Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus; altera res contristabit et vires exhauriet; de stilo dico: altera solvet ac diluet. Invicem hoc illo commutandum est, et alterum altero temperandum: ut, quidquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes (ut ajunt) debemus imitari, quae vagantur,

---

nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur; quapropter stultitia visa est, aut a bene inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemur, aut ad vitia quoque ejus accidere, cujus aliquo bene praecepto duceremur. Quod si in ceteris quoque studiis a multis *eligere* homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent: non tantopere in vitiis perseverarent: aliquanto levius ex inscitia laborarent. Ac si par in nobis hujus artis, atque in illo picturae, scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam ille in sua pictura nobilis eniteret. Ex majore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, et ex eo numero virginum, quae tum erant, eligere potuit: nobis omnium, quicumque fuerunt, ab ultimo principio hujus praeceptionis, usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit.»

et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere, disponunt, ac per favos digerunt: et, ut Virgilius noster ait,

— — liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas. *)

De illis non satis constat, utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel fit: an quae collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam, et proprietate spiritus sui mutent. Quibusdam enim placet, non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Ajunt, inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius coeli, aut ipsius arundinis humor dulcis et pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eamdem, sed minus manifestam et notabilem poni: quam persequatur et contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant, conditura et dispositione in hanc qualitatem verti, quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint: non sine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diversa coalescunt **). Sed ne ad aliud, quam de quo agitur, abducar, nos quoque apes debemus imitari, et quaecumque ex diversa lectione congessimus, separare: melius enim distincta servantur: deinde, adhibita ingenii nostri cura et facultate, in unum saporem varia illa libamenta confundere: ut, etiam si apparue-

*) *Virg.* Aen. I, 432 seqq.

**) Variarum expositarum a Seneca de apum mellificio opinionum veritatem hodie satis esse explicatam, constat. Loca vett. huc pertinentia collegit *Schneider.* ad Varron. de Re Rustic. p. 569—584. Prae reliq. adeundus *Plinius,* H. Nat. L. XI. c. 5—21.

rit, unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat; quod in corpore nostro videmus sine ulla opera nostra facere naturam. Alimenta, quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, et solida innatant stomacho, onera sunt: at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et in sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus: ut, quaecumque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Assentiamur illis fideliter, et nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis: sicut unus numerus fit ex singulis, cum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. Hoc faciat animus noster; omnia, quibus est adjutus, abscondat: ipsum tantum ostendat, quod effecit. Etiamsi alicujus in te comparebit similitudo, quem admiratio tibi altius fixerit: similem esse te volo quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago, res mortua est. Quid ergo? non intelligetur, cujus imiteris orationem? cujus argumentationem? cujus sententias? Puto aliquando ne intelligi quidem posse, si magni viri: nec enim omnibus, quae ex quoque velut exemplaria traxit, formam suam impressit, ut in unitatem illum competant. Non vides quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur; aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media; accedunt viris faeminae, interponuntur tibiae: singulorum illic latent voces, omnium apparent. De choro dico, quem veteres philosophi noverant *). In

*) De *choro* jam supra indicatum est. Cf. p. 220. not. 1. — Inter veteres, ad quos *Senec.* hic provocat, philosophos in-

commissionibus nostris *) plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit; cum omnes vias ordo canentium implevit, et cavea aeneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. Talem animum esse nostrum volo, ut multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata. Quomodo, inquis, hoc effici poterit? Assidua intentione: si nihil egerimus, nisi ratione suadente. Hanc si audire volueris, dicet tibi: Relinque ista jamdudum, ad quae discurritur; relinque divitias, aut periculum possidentium, aut onus; relinque corporis atque animi voluptates: molliunt et enervant; relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa; nullum habet terminum; tam solicita est, ne quem ante se videat, quam ne post se alium; laborat invidia, et quidem duplici. Vides autem, quam miser sit is, cui invidetur, si et invidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa rixa salutantium limina? Multum habent contumeliarum, ut intres: plus, cum intraveris. Praeteri istos gradus divitum, et magno aggestu suspensa vestibula: non in praerupto tantum istic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad sapientiam dirige, tranquillissimasque res, et simul amplissimas, pete. Quaecumque videntur eminere in rebus humanis, quamvis pusilla sint, et comparatione humillimorum exstent, per difficiles

---

primis *Plato* nominandus. Praecipue *de legg.* l. II. (p. 82 seqq. ed. B.) chori utilitatem et disciplinam exponit.

*) *Commissiones* sunt certamina in ludis musicis, qui inprimis Senecae temporibus apud Romanos invaluerant.

tamen et arduos tramites adeuntur. Confragosa in fastigium dignitatis via est. At si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submisit: omnia quidem sub te, quae pro excelsissimis habentur, adspicies, sed tamen venies ad summa per planum.

§. 76.

Quintil. (l. X. c. 2.)

Ex lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione.* Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut, quae probamus in aliis, facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercule necesse est, aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem omnium facit, quam fuit iis, qui nihil, quod sequerentur, habuerunt, nisi caute et cum judicio apprehenditur, nocet.

Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut

cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est, reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent: nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt? Et cum illi, qui nullum cujusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus *) quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poetis supra *Livium Andronicum*, nihil in historiis supra *Pontificum annales* **) haberemus: ratibus adhuc navigaretur: non

*) Alii: *Rursus nam.*

**) Circa Pontificum annales et historiae Romanae scribendae primordia *Cicero* (De or. II. c. 12. §. 51 seqq.) dignus est, qui audiatur. «Erat [enim] historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei, memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc *Annales maximi* nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti; talis noster Cato, et Pictor, et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio (modo enim huc ista sunt importata) et, dum intelligatur,

esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum crescat nihil. Nihil autem crescit sola imitatione. Quodsi prioribus adjicere fas non est, quomodo sperare possumus illum oratorem perfectum? cum in his, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur aut reprehendatur. Sed etiam, qui summa non appetent contendere potius quam sequi debent. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiam, si non transierit, aequabit. Eum vero nemo potest aequare, cujus vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est, plus facere quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res simplicissimae, quaeque pares maxime videantur, utique discrimine aliquo discernantur. Adde, quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore et imago facie et actus histrionum

---

quid dicant, unam dicendi laudem putant esse, *brevitatem*. Paullulum se erexit, et addidit historiae majorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater: ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis: sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione; et tractu orationis leni, et aequabili perpolivit illud opus: sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. »

veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque cis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est et ad alienum propositum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes; quia in illis vera, in his assimulata materia est *). Adde quod ea, quae in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, *ingenium*, *inventio*, *vis*, *facilitas* et quidquid arte non traditur. Ideo plerique, cum verba ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se, quae legerunt, effingi arbitrantur: cum et verba intercidant invalescantque temporibus **), (ut quorum certissima sit regula in consuetudine), eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam per se soni tantum sunt), sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt, et compositio cum rebus accommodata sit tum varietate gratissima.

Quapropter exactissimo judicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia. Primum, *quos* imitemur: nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cujusque et corruptissimi concupierunt: tum in ipsis, quos elegerimus, *quid* sit, ad quod nos efficiendum comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicant. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere et solam, ut

---

*) Alii: propositum *accommodatur*, *quod facit*: ut minus — *habent* — orationes: *quoniam* in illis.

**) Cf. *Horat.* ad Pison. v. 70 seqq.

sic dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere *). Hoc autem his accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt, et cum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in pejus et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro *grandibus tumidi*, *pressis exiles*, *fortibus temerarii*, *laetis corrupti*, *compositis exultantes*, *simplicibus negligentes*. Ideoque qui horride atque incomposite quamlibet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Attici sunt scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem aemulantur: **)

*) In hoc loco Fabius *Lucret.* (De Rer. Nat. IV. 48.) respexisse videtur, cujus verba haec sunt:

Dico igitur, rerum effigies tenuesque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum;
Quae quasi membrana est vel cortex nominitanda,
Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
Quotiescunque cluet de corpore fusa vagari.

**) De Asinio Pollione *Fabius* ipse hoc judicat (l. X. c. 1. §. 113.): «Multa in *Asinio Pollione* inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior.» — Ceterum *Assinius Pollio* ingenio, doctrina, belli et pacis artibus inter aequales excelluit, Virgilio, Horatio et Augusto fere familiaris, artium et literarum fautor ac patronus eximius, qui, Parthenis bello devictis, primam Romae bibliothecam publicavit de manubiis. Cf. *Fabius* X. 1. §. 22. et 24.

otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent: *Esse videatur.* Ergo primum est, ut quod imitaturus est quisque, intelligat et, quare bonum sit, sciat.

Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quaedam sunt imitabilia, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat aut diversitas repugnet. Ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam, quam cupit, non assequatur. Nihil est enim tam indecens, quam cum mollia dure fiunt. Atque ego illi praeceptori, quem instituebam in libro secundo, credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret. Et adjuvare debet, quae in quoque eorum invenit bona, et quantum fieri potest, adjicere, quae desunt, et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator. Difficilius est, naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia, quae recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit.

Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nam neque comoedia [in] cothurnis assurgit *), nec con-

*) Alii: *nam* comoedia *non* cothurnis.

tra tragoedia socculo ingreditur *). Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: imitemur, quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere eis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas iis placuit alicujus, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas ac jucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque divisa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Omnium perfectissimus Graecorum *Demosthenes*: aliquid tamen aliquo loco melius alii: plurima ille. Sed non, qui maxime imitandus, et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo *M. Tullius* dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim *Caesaris* **), asperitatem *Coeli*, diligentiam *Pollionis*, judi-

---

*) Eodem fere modo *Horat.* (ad Pison. 89 seqq.) loquitur:

Versibus exponi tragicis res comica non vult;
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.

**) De *Caesare* vid. *Cicer.* (Brutus s. de clar. oratt. c 75.): « *Caesar* autem, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam, pura et incorrupta consuetudine emendat Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quae etiam, si orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est) adjungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tamquam tabulas bene pictas

cium *Calvi* quibusdam in locis assumere? Nam praeter id, quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere: tum, in tanta rei difficultate, unum intuentes vix aliqua pars sequitur. Ideoque cum totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quod cuique loco conveniat, aptemus.

Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non sit tantum in *verbis*. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia, etiam quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent:

---

collocare in bono *lumine*. Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video, cui debeat cedere. Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu: forma etiam magnifica et generosa quodammodo. Tum Brutus: Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, complures autem legi. Atque etiam *commentarios*, quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracto: sed dum voluit, alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit.» — — *Ibid.* c. 79. *Coelii* quoque meminit, cujus orationem *splendidam et grandem, eandemque inprimis facetam et perurbanam* vocat. — *Ibid.* c. 82. *Calvi* laudat elegantiam, notat ejusdem nimiam sui ipsius observationem. — Ceterum de omnibus conferendus *Fabius* ipse l. XII. c. 10. §. 11. De *Coelio* et *Calvo* l. X. c. 1. §. 115. eodem fere modo ac *Cicero* (loc. laud.) judicat. Cf. adhuc l. IV. c. 1. §. 123. et IX. c. 3. §. 56.

quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumta: quae tum est pulcherrima, cum sequitur, non quum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut suppleat, quae deerant, circumcidat, si quid redundabit, is erit, quem quaerimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oporteat, quum tanto plura exempla bene dicendi supersint, quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

CAPUT V.

De cogitatione et judicio.

§. 77.

De cogitatione.

Quintilianus (l. X. c. 6.)

Proxima stilo *cogitatio* est, quae et ipsa vires ab hoc accipit, estque inter scribendi laborem extemporalemque fortunam media quaedam et nescio, an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Haec paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. Haec, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adjuvatur. Haec inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur. Neque vero rerum ordinem modo, quod ipsum satis

erat, intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter manum desit. Namque memoriae quoque plerumque inhaerent fidelius, quae nulla scribendi securitate laxantur *).

Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito aut cito. Nam primum facienda multo stilo forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paullatim, ut pauca primum complectamur animo, quae reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda vis et exercitatione multa continenda est, quae quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut is, cui non refragetur ingenium, acri studio adjutus tantum consequatur, ut ei tam quae cogitarit, quam quae scripserit atque edidicerit, in dicendo fidem servent. Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant, ad verbum in agendo retulisse **).

Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum. Neque enim tantum habent curae,

*) Alii: plerumque *inhaeret* fidelius, *quod* — *laxatur*.

**) De Metrodoro *Scepsio*, qui probe secernendus et a Metrodoro *Stratoniceo*, nec non ab illo ejusdem nominis philosopho, *Chio*, qui secundum *Ciceronem* [Acad. quaest. l. II.] librum de natura composuit, vid. Fab. XI. 2, 26. et supra §. 67. De *Empylo Rhodio* varietatem lect. notitiasque huc pertinentes habes doctissime expositas in Ed. *Spald.* Vol. IV. p. 189. not. crit.

ut non sit dandus et fortunae locus, cum saepe etiam scriptis ea, quae subito nata sunt, inserantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et degredi ex eo et regredi in id facile possimus. Nam ut primum est, domo afferre paratam dicendi copiam et certam, ita, refutare temporis munera, longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adjuvare possit. Id autem fiet memoriae viribus, ut illa, quae complexi animo sumus, fluant secura, non solicitos ac respicientes et una spe suspensos recordationis non sinant providere: alioqui vel extemporalem temeritatem malo, quam male cohaerentem cogitationem. Pejus enim quaeritur retrorsus, quia dum illa desideramus, ab aliis avertimur et ex memoria potius repetimus, quam ex materia. Plura sunt autem, si utrumque quaerendum est, quae inveniri possunt, quam quae inventa sunt.

§. 78.

De judicandis aliorum scriptis.

Dionys. Halic. (Rhet. c. 11. Vol. V. p. 395 seqq. ed. W.)

Περὶ λόγων ἐξετάσεως.

Ὁ μέγιστος κίνδυνός ἐστι καὶ νέῳ καὶ μὴ νέῳ περὶ τὴν τῶν λόγων κρίσιν. ταῖς γὰρ ἡμετέραις δόξαις δίχα ἐπιστήμης εἰκῇ καὶ ἐπαινοῦμεν, ἃ ἔτυχεν ἑκάστοτε, καὶ ψέγομεν. καὶ διὰ τοῦτο συμβαίνει ταῦτα καὶ ἐπαινεῖσθαι καὶ ψέγεσθαι· οὐ μόνον ἄλλοτε ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ καὶ ταὐτὰ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ποτὲ μὲν ἐπαινεῖσθαι, ποτὲ δὲ ψέγεσθαι. ὥσπερ γὰρ οἱ ἄπειροι τοῦ ἀριθμοῦ οὐδέποτε τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν λέγουσιν, οὔτε πρὸς ἀλλήλους, οὔτε πρὸς ἄλλους· ἀλλ' ἢ

ἀπειρία περιέχει τεκμήριον, τὴν ἀσυμφωνίαν· οὕτως ἀμέλει καὶ περὶ λόγους ἔχομεν οἱ πλεῖστοι. οὐδέποτε γὰρ τὰ αὐτὰ ἡμῖν δοκεῖ, ἀλλὰ ποτὲ μὲν ἐπαινοῦμεν ταῦτα, ἃ ποτὲ ἐψέγομεν, καὶ ἃ ἐψέξαμεν, ἐπαινοῦμεν. ψυχαγωγούμεθα γὰρ τῇ δόξῃ τῶν ἀποφαινομένων, ἢ πρὸς τὸ ἀξίωμα τῶν ἐκείνων ἀποβλέποντες, οὐκ οἰκείᾳ κρίσει χρώμενοι. δεῖ δὲ ὥσπερ κανόνα εἶναι καὶ στάθμην τινὰ καὶ δοκίμιον ὡρισμένον, πρὸς ὅ τις ἀποβλέπων δυνήσεται τὴν κρίσιν ποιεῖσθαι, ἢ ἐπὶ τάδ', ἢ ἐπ' ἐκεῖνα. ὡς οὖν ἐμοὶ δοκεῖ, φράσω πρὸς ὑμᾶς. τέτταρα εἶναί φημι, ἀφ' ὧν τὴν δοκιμασίαν καὶ τὴν κρίσιν χρῆναι ποιεῖσθαι τῶν λόγων ἀξιῶ. ἔστι δὲ τὰ τέσσαρα ταῦτα, ἦθος, γνώμη, τέχνη, λέξις. σκεπτέον οὖν ἀεὶ ἡμῖν, περὶ ὧν ἢ ἀνέγνωμεν, ἢ ἠκούσαμεν, ἢ ὁπωσοῦν ἐτύχομεν, τί ὠφελεῖ, ἢ βλάπτει εἰς ἦθος, τί εἰς γνώμην, τί εἰς τέχνην, τί εἰς λέξιν. ἔξω τούτων οὐκ εἰσιν ὅροι.

CAPUT VI.

De facultate ex tempore dicendi.

§. 79.

(*Quintil.* l. X. c. 7.)

Maximus vero studiorum fructus est, et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris, *ex tempore dicendi facultas*: quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renunciabit, et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet *). Vix enim bonae fidei viro con-

*) Minoris *Cicero* hanc facultatem fecisse videtur, quippe qui (De orat. I. c. 33. §. 150.) ita de ea judicet: «Etsi

venit, auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit: ut monstrare portum, ad quem navis accedere, nisi lenibus ventis vecta, non possit. Siquidem innumerabiles accidunt subitae necessitates, vel apud magistratus, vel repraesentatis judiciis continuo agendi. Quarum si qua, non dico cuicunque innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alicui evenerit; stabitne mutus, et salutarem petentibus vocem, statim, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quaeret, dum illa verba fabricentur, et memoriae insidant, et vox ac latus praeparetur? Quae vero patitur hoc ratio, ut quisquam sit orator imparatus ad casus? Quid, quum adversario respondendum erit, fiet? Nam saepe ea, quae opinati sumus, et contra quae scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur; atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda est. Quid porro multus stilus, et assidua lectio, et longa studiorum aetas facit, si manet eadem, quae fuit incipientibus, difficultas? Periisse profecto confitendum est praeteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit.

Id autem maxime hoc modo *consequemur.*

Nota sit primum dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest, quam scierimus, quo sit et qua perveniendum. Nec satis est, non ignorare, quae sunt causarum judicialium partes, aut quaestionum

---

utile est, etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicere.»

ordinem recte disponere: quamquam ista sint praecipua: sed quid quoque loco primum sit ac secundum et deinceps: quae ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. Quisquis autem via dicet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie, velut duce: propter quod homines etiam modice exercitati facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde, quid quoque loco quaerant, scient; nec circumspectabunt, nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur, nec confundent ex diversis orationem, velut salientes huc illuc nec usquam insistentes. Postremo habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus, quae proposuerint, pervenisse se ad ultimum sentient.

Et haec quidem *ex arte*, illa vero *ex studio*: ut copiam sermonis optimi, quemadmodum praeceptum est, comparemus; multo ac fideli stilo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem etiam, quae subito effusa sunt, reddant: ut cum multa scripserimus, etiam quam multa dicamus. Nam *consuetudo* et *exercitatio* facilitatem maxime parit: quae si paullulum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed ipsum os quoque concurrit. Quamquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, ut dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus, semperque nostram vocem provisa et formata cogitatio excipiat: vix tamen aut natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inventioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum verborumque, tum iis, quae dicit, quae subjuncturus est, quae ultra spectanda sunt, adhibita vocis, pronunciationis, gestus observatione, una sufficiat. Longe enim prae-

cedat oportet intentio ac prae se res agat: quantumque dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut donec perveniamus ad finem, non minus prospectu procedamus quam gradu, si non intersistentes offensantesque brevia illa atque concisa singultantium modo eluctaturi sumus *).

Est igitur usus quidam irrationalis, quem Graeci ἄλογον τριβὴν vocant **), qua manus in scribendo decurrit, qua oculi totos simul in lectione versus flexusque eorum et transitus intuentur, et ante sequentia vident quam priora dixerunt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea, quae emiserint, ultro venire in manus credas et, qua jubentur, decurrere. Sed hic usus ita proderit, si ea, de qua locuti sumus, ars antecesserit, ut ipsum illud, quod in se rationem non habet, in ratione versetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, copiose dicit, sed tumultuari: nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam, quem jurgantibus etiam mulierculis superfluere video: cum eo quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit. Deum tunc affuisse, cum id evenisset, veteres oratores, ut Cicero ait, dictitabant ***). Sed ratio manifesta est. Nam bene con-

*) Alii: singultantium modo *ejecturi* sumus.

**) Τριβὴ significat *usum*, ut *Fabius* ipse l. II. c. 15. §. 23. explicat: «Critolaus *usum dicendi* (scil. rhetoricam putat); nam hoc τριβὴ significat» Ad locum nostrum quadrat etiam, quod *Plato* in Phaedro habet: (ἡ τῶν λόγων τέχνη) οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή.

***) Hunc *Ciceronis* locum multi mecum frustra circumspexerunt.

cepti affectus et recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quae nonnunquam mora stili refrigescunt et dilatae non revertuntur. Utique vero cum infelix illa verborum cavillatio accessit et cursus ad singula vestigia restitit, non potest ferri contorta vis, sed, ut optime vocum singularum cedat electio, non continua, sed composita est.

Quare capiendae sunt illae, de quibus dixi, rerum imagines, quas vocari φαντασίας indicavimus, omniaque, de quibus dicturi erimus, *personae* *), *quaestiones*, *spes*, *metus*, habenda in oculis, in affectus recipienda. Pectus est enim, quod disertos facit, et vis mentis. Ideoque imperitis quoque, si modo sint aliquo affectu concitati, verba non desunt. Tum intendendus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut, si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia, quae sunt in ea circaque, intuemur, non ultimum tantum videmus, sed usque ad ultimum. Ad dicendum etiam pudor stimulos habet et dicendorum exspectata laus: mirumque videri potest, quod cum stilus secreto gaudeat atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et expellit dicendi necessitas, et secundos impetus auget placendi cupido. Adeo praemium omnia spectant **), ut eloquentia quoque quamquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen praesenti fructu laudis opinionisque ducatur. Nec quisquam

---

*) Cf. l. VIII. c. 3. §. 64. It. XI. c. 3. §. 62 et XII. c. 10. §. 6.

**) Alii: *pretium*.

tantum fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere; sed sicut in cogitatione praecipimus, ita facilitatem extemporalem a parvis initiis paullatim perducemus ad summam: quae neque perfici, neque contineri nisi usu potest. Ceterum pervenire eo debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior; cum hanc facilitatem non prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est *); non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant: quod tamen non ipsum tam probabile puto (neque enim habet aut usum res aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem; qui foro praeparantur, utile exemplum. Neque vero tantam esse unquam fiduciam facilitatis velim, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea, quae dicturi simus, dispicienda sumamus: quod quidem in judiciis ac foro datur semper. Neque enim quisquam est, qui causam, quam non didicerit, agat. Declamatores quosdam perversa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint: quin etiam, quod est in primis frivolum ac scenicum, verbum petant, quod incipiant. Sed tam contumeliosos in se ridet invicem eloquentia: et qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis judicantur. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio et vis omnis intendenda rebus et in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum, si consequi utrumque non dabitur. Tum et tardior pronunciatio moras habet et suspensa ac velut dubitans oratio: ut

---

*) *Cicer.* De orat. III. 50. et pro Arch. poet. c. 8.

tamen deliberare, non haesitare videamur. Hoc, dum egredimur e portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paullatim simul euntes aptabimus vela et disponemus rudentes et impleri sinus optabimus. Id potius, quam se inani verborum torrenti dare, quasi tempestatibus, quo volent, auferendum.

Sed non minore studio *continetur* haec facultas, quam paratur. Ars enim semel percepta non labitur: stilus quoque intermissione paullulum admodum de celeritate deperdit: promtum hoc et in expedito positum exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum simus judicio atque opinione solliciti: rarum est enim, ut satis se quisque vereatur. Vel soli tamen dicamus potius quam omnino non dicamus. Est illa exercitatio cogitandi totasque materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra se ipsum) persequendi, quae nullo non et tempore et loco, quando non aliud agimus, explicari potest: et est in parte utilior, quam haec proxima. Diligentius enim componitur, quam illa, in qua contextum dicendi intermittere veremur. Rursus in alia plus prior confert, vocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui et ipse, ut dixi, excitat oratorem et jactatione manus, pedis supplosione, sicut cauda leones, facere dicuntur, hortatur. Studendum vero semper et ubique. Neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit *), operae ad scribendum aut legendum

*) Fortasse *Ciceronis* (Orat. c. 10. §. 34.) verba Nostro obversata sunt.

aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum, quod eidem Ciceroni placet *), nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Scribendum certe nunquam est magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita enim servabitur pondus et innatans illa verborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas vitis radices amputant, quae illam in summum solum ducant, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac nescio an, si utrumque cum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit; si id non dabitur, cogitandum: ab utroque exclusi, debent tamen anniti, ut neque deprehensus orator, neque litigator destitutus esse videatur. Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria et utique initia scribant, cetera, quae domo afferunt, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant.

Quod fecisse M. Tullium commentariis, ipsius apparet **). Sed feruntur aliorum quoque et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti; ut causarum, quae sunt actae a Ser.

---

*) Locum, ubi hoc Ciceronis placitum aperte legatur, compertum non habeo.

**) Compositos a Cicerone exstitisse commentarios, paucissimis quidem antiquitatis testimoniis probatur (cf. v. g. *Ascon. Pedianus* p. 147.), nec tamen dubitari potest, cum Noster alio adhuc loco eorumdem certissimam mentionem faciat. Cf. l. IV. c. 1. §. 69.

Sulpicio: cujus tres orationes extant *); sed ii, de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem libellosque, qui vel manu teneantur, et ad quos interim respicere fas sit. Illud, quod Laenas praecipit **), displicet mihi, nec in his, quae scripserimus, velim summas in commentarium et capita conferri: ***) facit enim ediscendi negligentiam haec ipsa fiducia et lacerat ac deformat orationem. Ego autem

---

*) De *Ser. Sulpicio* cf. Noster hoc ipso libro c. 1. §. 22 et 116. *Cicero* (in Bruto c. 55. §. 203.) De ejus orationibus a Cicerone haec monentur (ib. c. 55. §. 205.) « Sulpicii orationes, quae feruntur, eas post mortem ejus scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra nostrum ordinem meo judicio disertissimus. Sulpicii nulla oratio est, saepeque ex eo audivi, quum, se scribere neque consuesse neque posse, diceret. » Maximis eum *Cicero* laudibus extollit Philipp. IX. — Hic vero Serv. Sulpicius probe segregandus est a *C. Sulpicio Gallo*, cujus item *Cicero* (Brut. c. 22.) inter oratores non sine laude meminit: « De minoribus autem C. Sulpicius Gallus, qui maxime omnium nobilium graecis literis studuit; isque et oratorum in numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus et elegans. »

**) Laenas secundum Fabium omnem rhetoricam scriptis exposuisse videtur. Cf *Fab.* l. XII. c. 1. §. 21. It. l. XI. c. 3. §. 183. Ceterum vix alium praeter Fabium inveneris auctorem, qui illius rhetoris mentionem faceret.

***) Alii ita legunt: *Displicet mihi, quae scripserimus, in summas, sive commentarios et capita, conferre.*

nec scribendum quidem puto, quod non simus memoria persecuturi. Nam id quoque accidit, ut revocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec sinat praesentem fortunam experiri. Sic anceps inter utrumque animus aestuat, cum et scripta perdidit et non quaerit nova.

CAPUT VII.

Nonnulla eaque praecipua de instituendorum in arte rhetorica discipulorum ratione.

§. 80.

a) De modo tractandi discipulos.

Quintil. (Inst. or. l. II. c. 2.)

Quum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut, quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit; quorum in primis inspici mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum, quam diligentissime putem, sicut testatus sum libro priore: sed quod magis necessariam ejus rei mentionem facit aetas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant, ideoque major adhibenda tum cura est: ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est summam praestare abstinentiam,

nisi disciplinae severitate convenientium quoque ad se mores astrinxerit.

Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam, quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator: simplex in docendo; patiens laboris; assiduus potius, quam immodicus *). Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus; quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. In emendando, quae corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus; nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, imo multa, quotidie dicat, quae secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox* alit plenius, praecipueque ejus praeceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant et verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus.

Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exsultandique in laudando licentia: quin etiam juvenum modicum esse, quum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio praecep-

*) Cf. l. I. c. 4. §. 23.

toris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitiosissima, quae jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacunque laudandi, quum est indecora et theatralis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videntur cura ac labor, parata, quicquid effuderint, laude. Vultum igitur praeceptoris intueri, tam qui audiunt, debent, quam ipse, qui dicit; ita enim probanda atque improbanda discernent; sic stilo facultas continget, auditione judicium. At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exsultatione conclamant. Id mutuum est, et ibi declamationis fortuna. Hinc tumor et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a praeceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque praeceptores intente ac modeste audiri velint; non enim judicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat, quae quisque, et quomodo laudet: et placere, quae bene dicet, non suo magis quam eorum nomine delectetur, qui recte judicabunt.

§. 81.

b) De materia discipulis in exercenda arte rhetorica danda.

Quintil. (Ibid. c. 4. et 5.)

Apud rhetorem initium (scil. exercitationis scribendi) sit *historia;* tanto robustior, quanto verior. Sed narrandi quidem quae nobis optima ratio videa-

tur, tum demonstrabimus, quum de judiciali parte dicemus. Interim admonere illud satis est, ut sit ea neque arida prorsus atque jejuna (nam quid opus erat tantum studiis laboris impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur?): neque rursus sinuosa, et arcessitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poeticae licentiae ducuntur, lasciva. Vitium utrumque: pejus tamen illud, quod ex inopia, quam quod ex copia venit.

Nam in pueris oratio perfecta nec exigi, nec sperari potest: melior autem est indoles laeta, generosique conatus, et vel plura justo concipiens interim spiritus. Nec unquam me in his discentis annis offendat, si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curae velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, et satiari velut quodam jucundioris disciplinae lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta aetas astringat. Hinc spes roboris. Maciem namque et infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat haec aetas plura et inveniat, et inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca et severa. Facile remedium est ubertatis: sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingenium judicio praesumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorem atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo, unde excidi possit, et quod exsculpi: erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et quam caelatura altior rumpat. Quod me de his aetatibus sentire, minus mirabitur, qui apud Cicero-

nem legerit: *Volo enim se efferat in adolescente fecunditas* *).

Quapropter in primis evitandus, et in pueris praecipue, magister aridus, non minus, quam teneris adhuc plantis siccum et sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, et velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. Macies illis pro sanitate, et judicii loco infirmitas est: et dum satis putant, vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic et annos ferent, et vetustate proficient.

Ne illud quidem, quod moneamus, indignum est, ingenia puerorum nimia interim emendationis severitate deficere: nam et desperant, et dolent, et novissime oderunt, et (quod maxime nocet) dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, et cicatricem nondum pati posse. Jucundus ergo tum maxime debet esse praeceptor, ut remedia, quae alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur; laudare aliqua, ferre quaedam, mutare etiam, reddita, cur id fiat, ratione; illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, totas ipsum dictare materias, quas et imitetur puer, et interim tanquam suas amet. At si tam negligens ei stilus fuerit, ut emendationem non recipiat: expertus sum, prodesse, quoties eandem materiam rursus a me retractatam, scribere de integro juberem; *posse*

---

*) *Cicer.* De orat. II. 21. secund. *Gesner.*

enim eum adhuc melius; quatenus nullo magis studia, quam spe gaudent. Aliter autem alia aetas emendanda est, et pro modo virium et exigendum opus, et corrigendum. Solebam ego dicere pueris, aliquid ausis licentius aut laetius, *laudare illud me adhuc; venturum tempus, quo idem non permitterem:* ita et ingenio gaudebant, et judicio non fallebantur.

Sed ut eo revertar, unde sum egressus: narrationes stilo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo. Nam, ut primo, quum sermo instituitur, dicere, quae audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem; ideoque et retro agere expositionem, et a media in utramque partem discurrere sane merito cogantur; sed ad gremium praeceptoris, et dum aliud non possunt, et dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: ita quum jam formam rectae atque emendatae orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio, et vix surgendi mora, circulatoriae vere jactationis est. Hinc parentum imperitorum inane gaudium; ipsis vero contemptus operis, et inverecunda frons, et consuetudo pessime dicendi, et malorum exercitatio, et, quae magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum parandae facilitati tempus, nec a nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est, si puer omni cura et summo, quantum aetas illa capit, labore aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, hujus rei naturam sibi faciat. Ille demum in id, quod quaerimus, aut ei proximum, poterit evadere, qui ante discet recte dicere, quam cito. — — —

Inde paullatim ad majora tendere incipiet, *laudare claros viros*, et *vituperare improbos:* quod non simplicis utilitatis opus est. Namque et ingenium exercetur multiplici variaque materia, et animus contemplatione recti pravique formatur, et multa inde cognitio rerum venit: exemplisque, quae sunt in omni genere causarum potentissima, jam tum instruitur;. quum res poscet, usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit *comparationis, uter melior, uterve deterior?* quae quanquam versatur in ratione simili, tamen et duplicat materiam, et virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat. —

Theses autem, quae sumuntur ex rerum comparatione, ut *rusticane vita, an urbana potior? jurisperiti, an militaris viri laus major?* mire sunt ad exercitationem dicendi speciosae atque uberes, quae vel ad suadendi officium, vel etiam ad judiciorum disceptationem juvant plurimum. —

(c. 5.) Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando et vitiosas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirentur, legi palam pueris, ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata sint; quae non laudantur modo a plerisque, sed (quod pejus est) propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, et secundum naturam enunciatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur: non aliter quam distortis, et quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis, quae nihil ex communis habitus bonis perdiderunt. Atque etiam qui specie capiuntur, vulsis, levatisque, et inustas

comas aqu comentibus, et non suo colore nitidis, plus esse formae putant, quam possit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus.

Nec solum haec ipse debebit docere praeceptor, sed frequenter interrogare, et judicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec, quae dicentur, superfluent aures: simulque ad id perducentur, quod ex hoc quaeritur, ut inveniant ipsi, et intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper docendi sint.

Hoc diligentiae genus ausim dicere plus collaturum discentibus, quam omnes omnium artes, quae juvant sine dubio multum: sed, latiore quadam comprehensione, per omnes quidem species rerum quotidie paene nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari quanquam sunt tradita quaedam praecepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent praecepta, quam experimenta. An vero declamabit quidem praeceptor, ut sit exemplo suis auditoribus: non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? corrigetur palam, si quid in declamando discipulus erraverit: non potentius erit, emendare orationem? quin imo etiam jucundius. Aliena enim vitia quisque reprehendi mavult, quam sua. Nec deerant plura, quae dicerem; sed neminem haec utilitas fugit: atque utinam tam non pigeat facere istud, quam non displicebit.

Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quaestio, qui *legendi* sint incipientibus? Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus

videbatur, probaverunt: alii floridius genus, ut ad alenda primarum aetatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem, et statim, et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum, velim, ut Livium a pueris magis, quam Sallustium: et hic historiae major est auctor; ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et jucundus, incipientibus quoque, et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum (quemadmodum Livius praecipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus.

Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisque *), et aliorum similium lectione durescere velit; fient enim horridi atque jejuni: nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur, et elocutione, quae tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur. Alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviae flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ut praedulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaserim et antiquos legere (ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis

---

*) *Gracchorum* orationes interciderunt. *Catonis* solus de agricultura liber ex multis, quos totus scripsit, superest. Sed de hujus libri autore a nonnullis dubitatur. Exstat in Collect. scriptt. Rei Rusticae. Cur. Jo. Matth. Gesnero. Lips. 1735. et 1774. 2 Voll. 4. — De variis Catonis scriptis nuperrime disseruit *A. Lion.* Goett. 1827.

saeculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet) et novos, quibus et ipsis multa virtus adest. Neque enim nos tarditatis natura damnavit, sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis, quam oportebat, indulsimus: ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere: sed curandum erit, ne iis, quibus permixta sunt, inquinentur. Quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim? Sed ii, qui sint, non cujusque est, pronunciare. Tutius circa priores vel erratur; ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio judicium antecederet.

§. 82.

c) De observanda in erudiendis discipulis ingeniorum varietate.

Quintil. (Ibid. c. 8.)

Virtus praeceptoris haberi solet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorum, et, quo quemque natura maxime ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quaedam varietas, nec pauciores animorum paene, quam corporum, formae. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint. Utile deinde plerisque visum est ita quemque instituere, ut propria naturae bona doctrina foverent, et in id potissimum ingenia,

quo tenderent, adjuvarentur: ut si quis palaestrae peritus, quum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit praeparandus: ita praeceptorem eloquentiae, quum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita se commodaturum singulis, ut in eo, quo quisque eminet, provehatur: quod et adjuta cura natura magis evalescat; et qui in diversa ducatur, nec in iis, quibus minus aptus est, satis possit efficere, et ea, in quae natus videtur, deserendo faciat infirmiora.

Quod mihi (libera enim, vel contra receptas persuasiones, rationem sequenti sententia est) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. Namque erit alius historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio juris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. Sic discernet haec dicendi magister, quomodo palaestricus ille cursorem faciet, aut pugilem, ut luctatorem, aliudve quid ex iis, quae sunt sacrorum certaminum *). Verum ei, qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia, quae sunt ejus operis, etiam si qua difficiliora discenti videbuntur, elaborandum est. Nam et omnino supervacua erat doctrina, si natura

---

*) De sacris apud Romanos certaminibus cf. *Sueton.* August. 98. Ner. 12. Domit. 4 Noster ipse confer. III. c. 7. §. 4. It. IX. c. 4. §. 11.

sufficeret. An si quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique sunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? aridum atque jejunum non alemus, et quasi vestienus? Nam si quaedam detrahere necessarium est, cur non sit adjicere concessum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deterendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque, quod cessat. An vero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, quum de Ephoro atque Theopompo sic judicaret, ut *alteri frenis, alteri calcaribus opus esse* diceret *), aut in illo lentiore tarditatem, aut in illo paene praecipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit? quum alterum alterius natura miscendum arbitraretur. Imbecillis tamen ingeniis sane sic obsequendum sit, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod solum possunt, melius efficient. Si vero liberalior materia contigerit, et in qua merito ad spem oratoris simus aggressi, nulla dicendi virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, ceteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis, in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia, quae sunt

---

**) De Theopompo et Ephoro, historicis, cf. inprimis *Cicer.* De or. III. c. 9. It. Brut. c. 56. et *Quintil.* ipse l. X. c. 1. §. 74.